
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
55
9 K
21

DE DEO VNO TRACTATVS PRIMVS

Auctore

AVGVSTINO OREGIO,

Pontificijs Eleemosynis generali Præfecto,

Sanctissimi Domini Nostri VRBANI Octaui Theologo, & Intimo Cubiculario, Basilicæ Vaticanæ Canonico.

CVM PRIVILEGIO.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apost. MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
VRBANO VIII.



AVGVSTINVS OREGIVS

beatissimis pedibus prouolutus S. F.



EATISSIME Pater. Labente iam anno vigesimo quarto, ex quo Cathedralis Ecclesiæ Fauentinæ, ac subinde Vaticanæ Basilicæ Principis Apostolorum, singulari Sanctitatis tuæ beneficio, Canonicus Theologus sum constitutus; non vlterius differendum censui, quod, te Auctore, cum in sacratioris Purpuræ Senatu Cardinalis adhuc sententiam diceres; ante annum iam duodecimum conceperam: quomodo,

ſcilicet, ad ſacra eloquia intelligenda, quæ cæleſti illo librorum theſauro, quem ſumma liberalitate Spiritus ſanctus hominibus tradidit, continentur, faciliorem aditum redderem, Eccleſiæ dogmata dilucida cum breuitate tractando. In quo argumento cum paucos admodum ſe exercuiſſe viderem, omnibus Theologiæ ſtudioſis rem gratam facturum me exiſtimaui, & viris præſertim principibus, quibus ad publica commoda ſemper occupatis, non eſt otium bonas horas in longiores diſputationes impendere. Quod maxime fieri poſſe exiſtimaui, ſi myſteria cæleſtia, quæ de Deo ſunt nobis diuinitus per ſcripturas, ac traditiones reuelata, & per Patres, atque Concilia Sedis Apoſtolicæ auctoritate comprobata, ab vno maximè certo principio inciperem explicare; ex quo facili methodo ad alia exponenda progrederer. Id autem mihi ſedulò cogitanti, & inquirenti, occurrit illud Exodi tertio. EGO SVM, QVI SVM;

Quod

Quod cum dixerit Deus, vt ab alijs, quæ ab eo sunt distincta, dignosceretur; induxi animum, vt crederem, ex eo facilè deduci, quæcunque absque defectu, cum perfectionem dicant, de Deo affirmari possunt, vel, si deficientem perfectionem dicant, remouentur; idque Patrum doctrinæ congruere cum cognouerim, rem aggressus, de Deo Vno, atque eius attributis tractatum absolui, quem Sanctitati tuæ, vt supremo totius Ecclesiæ Magistro, & Capiti a Christo constituto, per quem nobis omnia ita purè, ac syncerè proponuntur, quemadmodum ab infallibili Dei spiritu reuelantur, offerendum censui; vt, si (quod, Deo dante, non accidisse credo) aliquid sit, quod a fide, quam docet Sancta Romana Ecclesia omnium Mater, & Magistra, aliqua minima licet parte, sit alienum, auctoritate tua, me maximè volente, & cupiente, reijciatur. Illud dono Dei firmiter credens, non esse cælestis doctrinæ, non dicam magistros, sed

ne idoneos quidem auditores, quorum non captiuetur intellectus in obsequium fidei, ad ea credenda, quæ a Deo reuelata, per Ecclesiam Romanam, contra quam portæ inferi non præualebunt, credenda proponuntur. Ad cuius sensum probè intelligendum, in celebrioribus Academijs olim, magistris doctrina, & religione conspicuis, operam dedi: exinde ad annos triginta, & priuatis, & publicis disputationibus, ac prælectionibus me exercui. Quare non temere me facturum existimaui, si & ego, publicæ vtilitati, & commoditati, primum hunc tractatum (ad alios deinceps progressurus) in lucem proferrem: tum, ne talentis traditis, quamuis exigua sentiam, abusus videar: tum, ne scientias illas neglexisse dicar, quas vt vsque ad senectam, & senium, & vsque ad vltimum vitæ spiritum excolam, mei muneris exigit institutio. Quod igitur Sanctitatis tuæ cohonestatum nomine in lucem exire incepit opus; si quid in eo luce di-

gnum eſt, a te receptum fateor; cum his decem & octo fere annis, quibus & Deo propitio, & Sanctitatis tuæ beneficio ædes tuas incolui, quo me ſemper Theologi nomine decoraſti, quod mihi non docentis, ſed diſcentis, non magiſtri, ſed diſcipuli nomen fuit, ne vna quidem præterierit dies, qua non aliquid me didiciſſe fatear. Tractatum igitur hunc, tanquam Sanctitatis tuæ opus vt libenti animo, ſicuti Auctorem ſemper recepiſti, in protectionem tuam receptum habeas, poſt ſacrorum pedum oſcula, enixè poſtulo, rogo.



Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Palatij Apost.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

TRactatus hic DE DEO, & eius attributis Perillustris, ac Reuerendissimi D. mei Augustini Oregij, quem Reuerendiss. Patris Nicolai Rodulfi iussu vidi, nihil auctore suo non dignum continet: ob id dignissimus est, qui publico bono typis euulgetur; vt habeant omnes, viri præsertim principes, & alijs curis occupati, breuem, adstrictam, solidam rerum theologicarum explanationem: in qua quæstionibus inutilibus omissis, sermone presso, nusquamque fluente, veritas ipsa summa cum breuitate, nec minore perspicuitate proponitur: vt expectari par erat ab eo, qui Sanctissimo Domino Nostro sacris a Consultationibus adest; & Ecclesiæ tandiu tanta cum laude Theologi munere deseruit.

Ita censeo Io: Hieronymus Sopranis in Collegio Romano Soc. Iesu studiorum Præfectus.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Rodulfus Sac. Palatij Apost. Mag. ac totius Ord. Præd. Vicarius Generalis.

INDEX
CAPITVM, ET QVAESITORVM
huius Tractatus.

Quæſ. 1.

Priuilegij summa pro Impressore Camerali, & Vaticano.

CLemens Papa VIII. Diplomate sanxit, ne quis citra voluntatem Dominici Basæ, olim in Typographia Vaticana Impressoris, sacram Bibliam, Concilia generalia, Epistolas decretales, libros ad Ecclesiasticum munus pertinentes, ac etiam Sanctorum Patrum volumina, libros etiam cuiuscunque generis, vel nouiter ab ipso edendos, vel nouis additionibus auctos, per decennium ab editione cuiusque voluminis imprimat, vel impressa venalia habeat. Quod Priuilegium Paulus Papa V. peculiari Chirographo in fauorem Hieremiæ Guelphi I. V. D. ac Impressoris Cameralis transtulit, indulsitque. Id idem Gregorius Papa XV. Literis expeditis, ratum, firmumq; haberi voluit. Violatores excommunicationis latæ sententiæ pœna puniuntur. Quod si in Terris S.R.E. subiectis id contigerit, confiscatione etiam librorum, ac quingentorum ducatorum auri solutione mulctabuntur, vt latius patet in Literis ipsius Gregorij Papæ, datis Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub anulo Piscatoris die 18 Octobris 1621. Pontificatus sui anno primo. Quæ omnia Sanctiss. D. N. Vrbanus Papa VIII. in fauorem Andreæ Brogiotti Typographi Cameralis, & Vaticani translata, & indulta haberi iussit, datis Literis apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 23. Martij 1628. Pontificatus sui anno quinto.

Signat. M. A. Maraldus.



CAPVT PRIMVM DE DIVINA ESSENTIA.

in quo quæritur,

QVID DEVS SIT.



ICET de Deo melius, & facilius cognoſcamus [a] quid non ſit, quàm quid ſit; ob ſummam eius perfectionem, ſimplicitatem, & eſſe; quod cum ab omni concretione remotiſsimum ſit, & ab omni materia, ac ſenſibili accidente ſeparatum; omnem effugit ſenſum; & per conſequens nullas ſpecies, ac ſui ſimilitudines in ſenſus producit, quibus ipſe Deus immediatè repræſentetur, & cognoſcatur: ſed neceſſe eſt nobis ex ſpeciebus rerum ſenſibilium aliquam de Deo, ac eius eſſentia venari cognitionem; quæ ſi lumine tantum naturæ nitatur, exigua admodum eſt, & infirma, nec apta explicare diuinam eſſentiam; quæ infinita cum ſit, noſtri intellectus vim cognoſcendi infinito ſuperat exceſſu: & non in ſe ipſo, vel in ſua ſpecie re-

[a] S. Dionyſ. c. 2 de cęleſti Hierarch. & cap. 1 de myſticâ Theologia. S. Athan. in ep. ad ſolitariam vitam agentes. S. Damaſcen. lib. 1. Orthodoxæ fidei, cap. 4. S. Auguſt. in pſal. 85. & lib. 8. de Trinit. cap. 2. S. Maximus Monachus initio expoſitionis Liturgiæ tom. 6. Bibliothecæ ss. Patrum. S. Thom. p. p. q. 3.

præſentatus Deus; ſed in effectis, & aliena ſpe-
cie cognoſcitur.

Quod ſi ſupernaturali lumine fidei eleuatus
intellectus, aliquid de Deo cognoſcit: quam
uis & certiſsima, & firmiſsima ſit cognitio;
b 1.Cor.13. adhuc tamen per [b] ſpeculum, & in ænigmate
c Rom. cap. 1. [c] inuiſibilia Dei per viſibiles creaturas cogno-
ſcimus: Quod etſi aſſerat Apoſtolus Rom.c.1.
de cognitione, qua Deus naturæ viribus co-
gnoſcitur; idem tamen contingere experimur
in nobis, etiam poſt fidei ſupernaturalem re-
ceptum Habitum.

Lumine autem gloriæ, dum hanc morta-
lem viuimus vitam, diuino decreto deſtitui-
c Exod 33. mur: [c] Non enim videbit Homo Deum, & vi-
uet, Exod. 33.

Veruntamen ex ijs, quæ à nobis naturali
lumine cognoſcuntur, vel ſupernaturali reue-
lata ſunt, poſſumus aliquem de diuina eſſen-
tia, vel de Deo efformare conceptum, qui, ra-
tione noſtri modi intelligendi, præ alijs nobis
explicet, quid Deus ſit.

Inter cæteros autem, ille mihi videtur præ-
cipuus, quem Deus Exod. 3. Moyſi manife-
d Exod.3. ſtauit, dum dixit, [d] EGO SVM, Qui Sum, &
ſic dices filijs Iſrael, Qui eſt, miſit me ad vos.

Quorum verborum ſenſu explicato, diui-
nam intelligi eſſentiam, &, quid Deus ſit, co-
gnoſci, adducor vt credam: quia hinc facile
dedu-



deducere possumus Deo omnia conuenire attributa, quæ de ipso in scripturis, traditionibus, Conciliorum Canonibus Sedis Apostolicæ auctoritate confirmatis, vnanimi Patrum, ac Theologorum sensu affirmantur; vel quæ ab eodem, cum imperfectionem dicant, remouentur.

Quod vt fiat;

Ex metaphysicis in memoriam reuocandum est, in vnaquaque re, siue increata, siue creata sit; siue substantia, siue accidens sit, hæc duo, ratione nostri modi concipiendi saltem, considerari posse; scilicet essentiam, & existentiam. Nomine essentiæ autem in rebus creatis intelliguntur prædicata essentialia, quæ concipimus, dum explicamus, quid sit aliqua res; verbi gratia, dum definientes, quid est Homo, dicimus, Animal rationale: in quibus duobus consistit essentia Hominis. Animal enim est genus Hominis commune illi, & cæteris Animantibus. Rationale est differentia.

Quare tota essentia consistit in genere, & differentia, metaphysicè loquendo (nam physicè corpus, & anima intellectiua constituunt Hominis essentiam, vel substantiam) sine quibus nec esse potest Homo, nec concipi perfectè, quid sit. Et ideo asignari non potest tempus, quo cœpit esse vera hæc propositio,

præsentatus Deus; sed in effectis, & aliena specie cognoscitur.

Quod si supernaturali lumine fidei eleuatus intellectus, aliquid de Deo cognoscit: quamuis & certissima, & firmissima sit cognitio; adhuc tamen per [b] speculum, & in ænigmate [c] inuisibilia Dei per visibiles creaturas cognoscimus: Quod etsi asserat Apostolus Rom.c.1. de cognitione, qua Deus naturæ viribus cognoscitur; idem tamen contingere experimur in nobis, etiam post fidei supernaturalem receptum Habitum.

b 1.Cor.13.
c Rom. cap. 1.

Lumine autem gloriæ, dum hanc mortalem viuimus vitam, diuino decreto destituimur: [c] Non enim videbit Homo Deum, & viuet, Exod. 33.

c Exod 33.

Veruntamen ex ijs, quæ à nobis naturali lumine cognoscuntur, vel supernaturali reuelata sunt, possumus aliquem de diuina essentia, vel de Deo efformare conceptum, qui, ratione nostri modi intelligendi, præ alijs nobis explicet, quid Deus sit.

Inter cæteros autem, ille mihi videtur præcipuus, quem Deus Exod. 3. Moysi manifestauit, dum dixit, [d] EGO SVM, Qui Sum, & sic dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos.

d Exod.3.

Quorum verborum sensu explicato, diuinam intelligi essentiam, & quid Deus sit, cognosci, adducor vt credam: quia hinc facile dedu-



deducere possumus Deo omnia conuenire attributa, quæ de ipso in scripturis, traditionibus, Conciliorum Canonibus Sedis Apostolicæ auctoritate confirmatis, vnanimi Patrum, ac Theologorum sensu affirmantur; vel quæ ab eodem, cum imperfectionem dicant, remouentur.

Quod vt fiat;

Ex metaphysicis in memoriam reuocandum est, in vnaquaque re, siue increata, siue creata sit; siue substantia, siue accidens sit, hæc duo, ratione nostri modi concipiendi saltem, considerari posse; scilicet essentiam, & existentiam. Nomine essentiæ autem in rebus creatis intelliguntur prædicata essentialia, quæ concipimus, dum explicamus, quid sit aliqua res; verbi gratia, dum definientes, quid est Homo, dicimus, Animal rationale: in quibus duobus consistit essentia Hominis. Animal enim est genus Hominis commune illi, & cæteris Animantibus. Rationale est differentia.

Quare tota essentia consistit in genere, & differentia, metaphysicè loquendo (nam physicè corpus, & anima intellectiua constituunt Hominis essentiam, vel substantiam) sine quibus nec esse potest Homo, nec concipi perfectè, quid sit. Et ideo asignari non potest tempus, quo cœpit esse vera hæc propositio,

Homo est Animal rationale; fuit enim semper vera, & erit:

e Aristotel. lib. 1. poster. cap. 4. s. August. lib. 2. de liber. arbitr. tom. 1. cap. 8. s. Thom. p. p. q. 16. art. 7.

Nam e propositiones, in quibus prædicatum est de essentia subiecti, sunt per se, sic necessariò veræ; & æternæ veritatis, ex Aristotele lib. 1. Posteriorum cap. 4. Sancto Augustino lib. 2. de libero arbitrio tom. 1. cap. 8. Sancto Thoma p. p. q. 16. art. 7.

Quod valde notandum est ad intelligendum, quo modo necesse sit, Deum semper necessariò existere, cùm in conceptu eius essentiali includatur existentia, vt infra hoc eodem capite.

Nam si cuiusque rei creatæ essentia, quæ est per participationem, necessaria est, & æterna, multò magis diuinæ essentiæ, quæ est existentia, & esse, conueniet semper, necessariò, per se, & æternum esse.

Nomine existentiæ intelligimus id, quo vnaquæquè res est actu existens in rerum natura, ita, vt posit dici simpliciter, & absolutè esse, modo tamen sibi proportionato, & iuxta naturæ propriæ exigentiam.

Quare existentia etiam appellatur ipsum esse: nam antequam res existat, non dicitur absolutè esse, sed non esse absolutè dicitur: &, si dicatur esse, dicitur esse in potentia, & in causis: & quando iam res producta est; dicitur simpliciter esse in se ipsa, & extra causas: quia

A habet

habet esse; vel existentiam propriam, & non causæ tantum existentiam. Exempli causa, Homo, quando a Deo productus fuit, tunc habuit existentiam, qua cœpit esse in se ipso extra causas; & ab eo tempore propriè, & absolutè dici potest esse; nam antea dicebatur esse in potentia, vel in causis tantum.

Id ergo, quo per creationem, seu productionem habito vnaquæq; res cœpit esse actu, illud appellatur existentia.

Ex quo sequitur entia creata omnia habere esse [f] contingens, quia ita existunt, quando existunt, vt antea non extiterint: præcessit enim (ratione saltem nostri modi concipiendi) infinitum, licet imaginarium tempus, quo non extiterunt; & in futurum possunt non existere, saltem potente Deo, (si ipse vellet) destruere, & ad nihilum redigere quascunque creatas res, ex Sancto Thoma par. 1. q. 9. art. 2. in corp.

Quod si aliquæ, vt sunt Angeli, & humana anima, dicantur [g] æternæ a parte post, quia non sunt habituræ finem:

Id verum est, si considerentur res istæ creatæ æternæ, & incorruptibiles per comparationem, vel ad alias res creatas, a quibus destrui non possunt; vel ad intrinsecum earum esse, in quo nihil est, quod earum moliatur destructionem; Sicut contingit in rebus compositis ex contrarijs, quorum iugi bello, vno tandem vrgente

gente

f s. Hier. in cap. 3. ad Ephes. s. Greg. li. 16 moral. cap. mihi 16 s. August. lib. 1. & 5. de Trinit. to. 3. & lib. 7. Confess. cap. 11. Boet. lib. de Hebdomadibus cap. 2.

s. Thom. p. p. qu. 9. art. 2.

g s. Dionys. cap. 6. de diu. nom. s. August. lib. 14. de Trin. cap. 4.

gente victoriam, & superante; necesse est compositum dissolui, ac destrui, vt contingit in mixtis ex elementis.

At verò res comparatæ Deo, cuius beneficentia producuntur, & voluntate [h] conseruantur, possunt non existere, suum tantum concursum retrahente Deo. Vnde vera [a] æternitas est solius Dei, ex Sancto Augustino, tomo 6. de natura boni contra Manichæos; cum ipse tantum necessario existat, & ipse solus habeat immortalitatem absolutè dictam; vt ex Apostolo 1. ad Timoth. 6. habemus. Nam humanam etiam animam immortalitate à Deo donatam, euidenter concludit Christus Dominus contra Sadducæos Matth. cap. 22.

h s. Hiero in cap. 3. ad Ephes. s. Greg lib. 16 moral. cap. mihi 16. s Tho. p. p. q. 104. art 1. 2. & 3.

a s. August. to. 6. de natura boni contra Manichæos.

1. ad Timoth. 6.

Matth. 22.

Et est definitum in Concilio Lateranensi sub Leone X. Et nos alibi ex scripturis; ac rationibus fusius probabimus: quod si verum non esset, [c] omnis nostra fides, ac spes vana esset, vti Apostolus docet 1. ad Corinth. 15. si Christus a mortuis non resurrexisset. Quando ergo Apostolus dicit de Deo, qui solus habet immortalitatem, intelligitur de absoluta, & independenti immortalitate, quæ est [o] solius Dei per essentiam existentis; & per consequens non potentis desinere esse: quæ impotentia summam dicit perfectionem, omnemquè excludit defectum: quod est signum veræ, ac summæ potentiæ. His igitur positis,

Concil. Lateran. sub Leone X.

c 1. Corinth. 15.

o s. August. lib. 1. de Trin. cap. 1.

Quan-

Quando Deus Exodi 3. dixit,

Ego ſum, qui ſum.

Ea verba intelligenda ſunt hoc modo.

Ego ſum, qui ſum.

ideſt, ego ſum ille, in cuius eſſentiali conceptu, notione, & quidditate includitur eſſe; qui per eſſentiam ſum, & habeo eſſe; & per conſequens exiſto, & ſum independenter a quocunque alio: nam in mei conceptu, ac eſſentiali notione, natura, & eſſentia includitur eſſe, & exiſtere.

Ergo non aliunde, quàm a me ipſo, & per memet ipſum ſum, independenter à quolibet alio.

Quod enim alicui conuenit per eſſentiam, conuenit ei primo, & per ſe, & independenter a quolibet alio.

Hoc loco ita intellecto, ratione ſaltem noſtri modi concipiendi.

Dico hunc eſſe conceptum eſſentialem ipſius Dei;

Deus eſt, qui eſt.

Ita ſentiunt S. Athanaſius in tract. de definitionibus, & in orat. con. Idola. S. Dionyſ. cap. 5. de diu. nom. S. Hieronymus epiſt. ad Damaſum, quæ incipit, Quoniam vetuſto; & in cap. 3.

i s.Dionyſ.cap. 5. de diu nom. s.Athanaſ.in tract. de definitionib. & in orat. con idola. s.Hieron. epiſt. ad Damaſ. quæ inci-

pit Quoniam vetusto, & in cap. 3. ad Ephes.
S. Aug. lib. 1. c. 1. & 5. de Trin. c. 2. & 3 tract. 38. & 99. in Ioann.
Tract. de eo, quod dictũ est à Deo ad Moysen, Ego sum, qui sum.
De natura boni contra Manichæos cap. 1. lib. 7. confess. cap. 11.
Isidor. lib. 7. Etymolog. ca. 1. quod est de Deo.
Boet. lib. de Hebdomadib. cap. 1.
S. Greg. Magn lib. 16 Moral. cap. mihi 16.
S. Hilar. lib. 1. 3 6. & 12. de Trinit.
S. Tho. p. p. qu. 13. art. 11.
S. Bernar. lib. 5. de considerat. ad Eugenium cap. 6.
S. Greg. Nazianz. orat 42. & 49.
S. Basil. ep. 141. ad Cæsarianos.

cap. 3. ad Ephes. S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 1. & lib. 5. cap. 2. & 3. Tract. 38. & 99. in Ioannem. Tractatu de eo, quod dictum est à Deo ad Moysen, Ego sum, qui sum. Et de natura boni contra Manichæos capit. 1. lib. 7. Confess. cap. 11. Isidorus lib. 7. Etymologiarum cap 1. quod est de Deo. Boetius libro de Hebdomadibus cap. 1. Sanctus Gregorius Magnus lib 1. Moral cap. mihi 16. Sanctus Hilarius lib 1. 3. 6. & 12. de Trinit. S. Thom. p. p. q 12. artic. 11. Sanctus Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugen. c. 6. S. Greg. Naz. orat. 42. & 49. S. Basil. ep. 141. ad Cæsarian.

Probatur: nam ille est conceptus, & essentialis notio cuiusque rei, per quam explicatur id, quo ita vnaquæque res est, vt per illud ita sit, vt differat ab omni alia re; & ex eo facile sit deducere quascunque proprietates, & attributa, quæ illi rei tribuuntur.

1 S. Hieron. in c. 3. ad Ephes.
S. Aug. de Trin lib. 1. & trac. 38. in Io.
S. Thom. p p. q. 13. art. 11.

Sed per notitiam illam traditam illis verbis, Deus est, qui est, modo supra explicato; 1 Deus ita est, vt differat ab omni alia re; & ex ea facilè deducantur omnes proprietates, & attributa, quæ Deo tribuuntur.

Ergo hæc est essentialis notio Dei.

† Aristot. lib. 1. de Anima.

† Maior est Aristotelis lib. 1. de Anima.

Minoris probatio hic breuiter insinuatur; & fusisimè explicabitur, dum de singulis Dei attributis agetur.

Nam

Nam ex eo, quod Deus sit per essentiam, nec habeat esse dependenter ab alio natura distincto, sequitur, illi conuenire perfectissimum esse. Quod enim [m] conuenit alicui per essentiam in aliquo genere, in eo genere conuenit perfectissimo modo. Sed esse, quod non est limitatum ad vllum genus, [n] conuenit Deo per essentiam.

Ergo conuenit Deo perfectissimo modo, & dependenter ab illo conueniet cæteris rebus.

Quamobrem Deo in ratione entis [o] conueniet esse tanquam principali analogato; & per attributionem ad Deum, & [c] dependenter ab eo, tanquam secundarijs analogatis conueniet esse etiam rebus creatis.

Et quemadmodum Deus est [e] simpliciter, & absolutè perfectissimo modo; ita erit perfectissimo modo vnus, verus, bonus; & sic discurrendo per omnia Dei attributa, vt suis locis demonstrabimus, ex eo, quod Deus sit per essentiam existens.


m s. Tho. p.p.q.2. art.3. q.19 art.4.

n s. Aug. lib.1.& 5. de Trinit. s.Thom. p.p. q.2. art.1. & alibi. s.Bernard.lib.5 de consid. ad Eugen. cap.6.

o s Hier. in cap.3. ad Ephes. s.Thom. p.p.q.13. art.10.

c s.Bern. lib.5 de consider.ad Euge. cap.6.

e s. Athan. de incarnat. Verbi. s.Hiero. in cap.3. ad Ephes. & in ep.ad Damas. quo niam vetusto. s.Bernar. lib.5. ad Eugen. c.6. s.Augu. de natura boni con. Manich.



OBIICITVR. I.
Contra dicta.



I quicquid Deo conuenit, ei perfectiſſimo modo cõuenit, & per eſsentiam; erit Deus etiam per eſsentiam vnus, verus, bonus, potens, æternus, ſapiẽs, &c. Ergo non minus eſt de eſsentia Dei eſse verum, bonum, &c. quàm eſse, ſeu exiſtere.

Malè igitur diximus, Dei eſsentiam, vel quid eſt Deus, melius explicari per eſse, ſeu exiſtentiam, quàm per alia attributa.

a s. Bern. lib. 5. ad ad Eugen. s. Hiero. in cap. 3. ad Epheſ cap. 1. s. Augu. de natura boni cõtra Manichæos. o s. Athan. de incarnat. Verbi.

Reſpondetur: verum eſt, Deus per eſsentiam eſt [a] verus, [o] bonus, ſapiens; & quodcunque aliud de Deo formaliter prædicatur, & dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ideſt ita dicentem perfectionem, vt in ſuo conceptu nullam inuoluat imperfectionem, vt eſt bonitas, ſapientia, & alia huiuſmodi, quæ de Deo prædicantur.

g s Dionyſ. c. 5. de diu. nom.

At verò negatur, ratione noſtri modi concipiendi, [g] non melius explicari diuinam eſſentiam per eſse, ſeu exiſtentiam, quàm per alia attributa, quæ non minus ſunt de eſsentia Dei, quàm ipſum eſse, ſeu exiſtentia.

p s. Dion. cap. 5. de diu. nom.

Eſse enim, & exiſtere eſt [p] vniuerſaliſsimum

mum

mum prædicatum, se extendens ad omnia genera, species, & indiuidua rerum, & per consequens prius conceptu, & ratione quocunque attributo, quod dicit perfectionem tantum in aliquo genere entis, vt sunt sapientia, bonitas, &c. Melius ergo ponitur, hoc pertinere ad essentiam, quàm cætera attributa: Per hoc enim etiam facilius probantur alia attributa.

Boet. lib. de Hebdomadib cap. 2. s.Thom.p.p.q.13. art. 11.

Et existere per essentiam quodammodo est virtualis causa, qua a priori possint cætera de Deo probari; intellige semper, ratione nostri modi concipiendi; nã in Deo nihil est [e] prius, aut posterius, causa, aut effectus.

e s. Atha. in symb.

OBIICIES. II.



I esse, & existere, quod est vniuersalissimum prædicatum, & se extendens ad omnia genera, species, indiuidua, & differentias entis, & includens omnem perfectionem; est de essentia Dei; Deus erit quodlibet ens; cum quodlibet ens aliquam dicat perfectionem: atque ita erit corpus, erit mixtum ex elementis, erit compositum: quæ tamen omnia de

Deo [a] negantur; vt infra suis locis.

[a] Conc. Later. sub Innoc. iij. in c. firmiter, & cap. dãnamus, de summa Trin. & Fid. Cath.

1. Concesso antecedenti, negatur eius sequela; nam non valet argumentari; aliquid est ens; Ergo est omne ens: est Animal; ergo est omne Animal. Non enim ex Logicis valet argumentari a positione consequentis, quod est magis vniuersale, ad positionem antecedentis, quod est minus vniuersale.

Respondeo secundo, & dico, sequi quidem ex dictis, cum Deus sit per essentiam existens, & actus purus, eum continere in se omnem perfectionem non solum increatam, & [q] simpliciter simplicem; qualia sunt omnia attributa, quæ de Deo formaliter dicuntur, vt bonitas, veritas, æternitas &c. sed etiam omnem perfectionem creatam; non tamen formaliter, sed eminenter, & causaliter: quia res aliæ extra Deum in tantum sunt, aut possunt esse, quatenus [o] participant de diuino esse, & sunt dependenter ab ipso; qui extrinsecè, & terminatiuè includitur in conceptu essentiali cuiuscunque rei creatæ.

[q] Communiter Theologi ex S. Ansel. in monol. c. 5. Suar. lib. 3. primæ par. tract. 3. de distinctione personarum. Valentia p. p. disp. 2. q. 2. punct. 1. de relationib. diuinis.

[o] S. Hier. in ep. ad Damasum, quoniã vetusto. S. Aug. lib. 7. Confess. cap. 11.

Quod enim est [r] primum in vnoquoque genere, est causa cæterorum, ex Aristotel. 2. metaphys. textu 4.

[r] Arist. 2. met. tex. 4.

Cum igitur Deus in ratione entis sit primus; erit causa omnium.

Non sequitur tamen, Deum esse Creaturam; quia causa ex eo, quod contineat effectum

ctum virtualiter, non dicitur esse ipse effectus: nam Sol non dicitur esse Animal, aut Planta, licet vtriusque sit causa.

OBIICIES. III.



VOD est in Deo ita, vt sit vita, Deus est.

Sed, ex Ioanne capite primo, [o] quod factum est, in ipso vita erat, [f] Augustino interprete.

Ergo, quod factum est, erat Deus. Sed creaturæ tantum factæ sunt: ergo creaturæ, saltem antequam fierent, erant Deus. Quod si, antequam fierent, erant Deus; etiam postquam factæ sunt, erunt Deus: Nam, quod semel est Deus, non potest desinere esse Deus; quod enim est Deus, est per essentiam, & sic impotens desinere esse; cum omnia [e] prædicata essentialia sint æternæ veritatis, & necessaria.

Respondeo, ex eodem Sancto Augustino tractatu 2. in Ioannem; [t] quod factum est, in Deo fuisse, & esse vitam, non quantum ad esse proprium, & formale rei factæ: sed quantum ad virtutem, potentiam, & vim productiuam causæ; & quantum ad ideam, quæ est in intellectu,

o Ioan. cap. 1.

f s. Aug. to. 9. tract. 2. in Ioannem.

e Aristotel. lib. 1. post. cap. 4. s. Aug. lib. 2. de liber. arbitrio c. 8. s. Thom. p. p. q. 16. art. 7.

t s. Aug. tract. 2. in Ioan. s. Thom. p. p. q. 18. art. 4.

lectu, vel in eſſentia diuina; ſecundum quam aut creaturæ, antequam ſint, habent, vt poſſint eſſe; aut dum producuntur, & poſtquam productæ ſunt, habent exiſtere, & eſſe ſimpliciter in genere ſuo.


Vel etiam res factæ dicuntur in Deo vita, quatenus infinita Dei bonitas, quæ eſt vita; cuius gratia omnia fiunt, & quæ eſt [u] ſimpliciter, & abſolutè per eſſentiam bonitas, eſt cauſa finalis vltima omnium rerum, [o] dependenter a qua omnia alia bona, quæ per participationem ſunt bona, talia dicuntur, & ſunt bona per relationem ad illam duinam bonitatem, quæ eſt abſolutè bonitas, ſecundum quam Deus dicitur eſſe [a] ſolus bonus, ſcilicet per eſſentiam: nam cætera dicuntur bona, & [b] valdè bona Geneſis primo; ſed per participatiopationem, & dependenter a Deo, [c] per quem omnia facta ſunt, Ioannis primo. Et hoc modo non eſt abſurdum, imò neceſſarium, quod factum eſt, in Deo vitam eſſe, fuiſſe, & futurum eſſe: Et hæc propoſitio (Quod factum eſt, in ipſo vita erat) hoc modo explicata, non eſt formalis, ſed cauſalis: non enim creaturæ ipſæ ſunt vita formaliter; ſed eſſentia Dei, quæ eſt cauſa creaturarum, eſt formaliter vita: a qua in genere cauſæ efficientis, finalis, & exemplaris pendent omnia creata; idquè colligitur ex Sancto Auguſtino de natura boni con-

u s. Hier. in c.3. ad Epheſ.
s. Augu. to. 6. ca. 1. de natura boni contra Manich. & lib. 8. de Trinit. cap. 3.
o s. Ath. de incarnatione Verbi, & orat. con. Idola: s. Augu. lib. 8. de Trinit. c. 3.
a s. Damaſcenus li. 2 Orth. fid. ca. 9.
a s. Matth. cap 19. s. Luc. cap. 18:
b Gen. cap. 1.
c s. Ioan. cap. 1.

s. Aug. de natura boni contra Manichæos: & tract. 1. in Ioannem.

contra Manichæos; & tractatu secun. in Ioannem.

OBIICIES. IV.



SI essentia Dei esset esse, seu existere, per hoc non distingueretur Deus a creaturis, saltem in sententia eorum, qui dicunt, in creaturis non distingui realiter essentiam ab existentia, seu esse: nam in ijs re ipsa idem est essentia, & existentia, seu esse.

Ergo non est verum, per hoc, quod Deus sit suum esse, eum distingui ab omni alia re.

Respondetur. In sententia illorum, qui in rebus creatis distinguunt realiter essentiam ab existentia, nullum iam negotium facessit argumentum: Et hæc sententia est Sancti Thomæ p. p. q. 3. art. 4. s. Thom. p. p. q. 3. art. 4.

In sententia etiam illorum, qui dicunt, ratione tantum distingui in creaturis essentiam ab existentia; responderi posset, distingui saltem conceptu essentiam ab existentia in rebus creatis, & ita, vt existentia non includatur in conceptu essentiæ: sicut, qui dicunt, genus, & differentiam non distingui ex natura rei in vna, & eadem re; dicunt, in conceptu essentiali

tiali generis non includi differentias.

At verò in conceptu essentiæ Dei includitur existentia:

Quare nec re, nec ratione est separabilis essentia ab esse, seu ab existentia in Deo: quod non contingit in rebus creatis; nam si in formali conceptu essentiæ rerum creatarum includeretur esse, seu existentia; de ratione creaturæ non esset dependere ab alio.

OBIICIES V.

RES non distinguuntur ab inuicem per id, quod communissimum est: sed esse, seu existentia, & essentia, nullo penitus contradicente, sunt prædicata communissima, conuenientia omni generi rerum, cuilibet speciei, ac indiuiduo.

Ergo non in hoc communissimo conceptu erat ponenda differentia notionis essentialis Dei; sed in aliquo alio gradu, qui non esset ita communis, vt est intelligere, vel intellectiuum esse; qui est gradus minus communis, conueniens tantum Deo, Angelis, & Hominibus, ex Sancto Gregorio homilia 29. in Euangelia.

s.Greg.hom.29.in Euang.

Respon-

Respondetur: licet per alia etiam prædicata minus communia posit dici Deus differre ab omni alia re, quia est talis per essentiam; exempli causa, quia est intellectiuus per sui essentiam, posit dici differre ab omnibus rebus, tam intellectu præditis, quàm intelligentiæ expertibus: Veruntamen melius ponitur differentia in illo [b] communissimo conceptu essentiæ, & existentiæ, quàm in alijs minus communibus: tum quia ille est prior ratione nostri modi concipiendi, & ex illo sequuntur omnia, quæ de Deo prædicantur, & facilius illo posito explicantur: Tum etiam quia in primo conceptu, quem formamus de Deo, & creaturis, statim reperimus differentiam; quia statim cognoscimus Deum esse per essentiam, independenter a quolibet alio; & cætera omnia in qualibet sui conceptione, ac notione dependere a Deo, & per attributionem, ac dependentiam ab illo dici esse, quicquid sunt.

b Aristot. 1. phys. tex 49. S Thom p.p.q.16. art.4. s.Dion.c.5.de diu. nom.

EX DICTIS COLLIGITVR.

Esse per se notam hanc propositionem secundum se, vel ex natura rei,

Deus est.

vti docet Sanctus Thomas 1.par. q.2. art. 1. in corp.

S.Thom.p.p.qu.2. art.1.

tiali generis non includi differentias.

At verò in conceptu eſsentiæ Dei includitur exiſtentia:

Quare nec re, nec ratione eſt ſeparabilis eſſentia ab eſse, ſeu ab exiſtentia in Deo: quod non contingit in rebus creatis; nam ſi in formali conceptu eſsentiæ rerum creatarum includeretur eſse, ſeu exiſtentia; de ratione creaturæ non eſset dependere ab alio.

OBIICIES V.

RES non diſtinguuntur ab inuicem per id, quod communiſsimum eſt: ſed eſse, ſeu exiſtentia, & eſsentia, nullo penitus contradicente, ſunt prædicata communiſſima, conuenientia omni generi rerum, cuilibet ſpeciei, ac indiuiduo.

Ergo non in hoc communiſsimo conceptu erat ponenda differentia notionis eſsentialis Dei; ſed in aliquo alio gradu, qui non eſset ita communis, vt eſt intelligere, vel intellectiuum eſse, qui eſt gradus minus communis, conueniens tantum Deo, Angelis, & Hominibus, ex Sancto Gregorio homilia 29. in Euangelia.

s.Greg.hom.29.in Euang.

Reſpon-

Respondetur: licet per alia etiam prædicata minus communia posit dici Deus differre ab omni alia re, quia est talis per essentiam; exempli causa, quia est intellectiuus per sui essentiam, posit dici differre ab omnibus rebus, tam intellectu præditis, quàm intelligentiæ expertibus: Veruntamen melius ponitur differentia in illo [b] communissimo conceptu essentiæ, & existentiæ, quàm in alijs minus communibus: tum quia ille est prior ratione nostri modi concipiendi, & ex illo sequuntur omnia, quæ de Deo prædicantur, & facilius illo posito explicantur: Tum etiam quia in primo conceptu, quem formamus de Deo, & creaturis, statim reperimus differentiam; quia statim cognoscimus Deum esse per essentiam, independenter a quolibet alio; & cætera omnia in qualibet sui conceptione, ac notione dependere a Deo, & per attributionem, ac dependentiam ab illo dici esse, quicquid sunt.

b Aristot. 1. phys. tex 49. S Thom p. p. q. 16. art. 4. s. Dion. c. 5. de diu. nom.

EX DICTIS COLLIGITVR.

Esse per se notam hanc propositionem secundum se, vel ex natura rei,

Deus est.

vti docet Sanctus Thomas 1. par. q. 2. art. 1. in corp.

S. Thom. p. p. qu. 2. art. 1.

C Quod

Quod probatur ratione eiusdem, confirmante totum id, quod diximus supra:

Nam illa propositio est per se nota ex natura rei, in qua prædicatum includitur in ratione subiecti.

Sed esse, vel existere includitur in essentia Dei ex Sancto Thoma loco citato, & nos supra explicauimus ex Scripturis, & Patribus.

Ergo hæc propositio.

Deus est.

secundum se est per se nota.

Ex eo etiam, quod Deus sit ens per essentiam existens, sequitur necessariò ipsum esse omnium rerum primam [a] causam efficientem; quia, cum sit ens per essentiam existens, & cętera omnia per participationem; necesse est omnia esse, & existere, quando existunt, dependenter a Deo producente; quod est, omnium rerum primam causam efficientem esse Deum; Non enim potest, quod non existit, accipere existentiam, nisi ab existenti.

a S. Atha in tract. de definitionib.

Quare, si existunt res creatæ, quæ sunt entia per participationem; debet existere earum prima causa efficiens; qui est Deus per essentiam existens.

Qui cum sit per essentiam [o] bonus, & cætera omnia sint bona per participationem; quatenus sunt bona gratia illius, & [a] propter ipsum

o S. Athanas. de incarnat. Verbi. s. Hieron. in cap. 3. ad Ephes. s. Augu. de natura boni con. Manich.

sum; sequitur, Deum habere rationem vltimi finis, & optimi. Si ergo sunt res creatæ, quæ sunt per participationem, & gratia alterius bonæ: debet etiam existere Deus, qui est per essentiam [b] bonus, vltimus, & optimus finis.

a s.Dion.cap.5.de diu.nom.

b s.Damasc.lib.1. orthod.fid. c.29.

Qui cum sit etiam perfectissimum agens, non potest temere, & casu quicquam agere.

Hinc necessariò fit, vt non solum agat propter finem, qui sit vltimus, & optimus, idest propter se ipsum qui dicitur esse [b] principium, & finis, [c] Α, & Ω. Apocalypsis cap. 1.

b s.Dionys. c.5. de diu.nom.
c Apoc. cap. 1.

Sed necesse est etiam, ipsum intelligendo agere: nam, quæ sine cognitione agunt, vel non cognoscunt proportionem, & relationem mediorum ad finem; potius dicuntur in finem agi; quàm agere propter finem.

Ex quo vlterius sequitur, in Deo esse [d] ideã, & cognitionem cuiusque rei faciendæ ex Sancto Augustino tractatu 2. in Ioannem tomo 9. vt suo loco fusius probabitur: debet enim esse forma rei faciendæ in intellectu eius, qui cognoscendo operatur, nec habet aliud agens prius, a quo possit dirigi.

d s.Aug.tract.1.in Ioan.

Ex quo etiam vlterius sequitur, si existunt res creatæ, debere existere Deum, cuius in mẽte hæc ordinata præextiterint.

Patet igitur ex dictis, DEVM ESSE, ex natura rei, esse propositionẽ per se notã; quia est primum ens per essentiam existens, vltimus fi-

nis, & primum efficiens, in se vti exemplar, & idea continens naturas, & essentias rerum omnium, quæ per participationē sunt, vel existūt.

Ex quarum existentia ab effectu ad causam procedendo, probatur, Deum esse; quia debet dari primum [e] agens, & vltimus finis, qui est Deus per essentiam existens; ad quem cum peruenerimus, necessario sistendum est: & ita non datur processus in infinitum in causis.

e S. Dionys. c. 5 de diu. nom.

Ex his possumus excitare mentem ad intelligendum, quomodo mundus rerum multiplicitate, varietate, ordine, & dispositione, numero, pondere, ac mensura armatus, pugnet contra insensatos Atheos, qui, cum ad sensuum leges viuere velint, ijsdem reclamantibus sensibus intra cordis latebras inscitiam suam abscondere coguntur, Dauide teste Psalm. 52. [f] Dixit insipiens in corde suo non est Deus.

Reijciūtur athei.

f Psal. 52.

Quod, si quæras, cur præpostero ordine prius explicauerimus, quid Deus sit, quàm, an Deus sit:


Respondeo, id factum esse, vt intelligeremus adeo imperfectum, & obscurum esse conceptum, quem in hac vita formamus de diuina essentia, vt potius explicet, quid nomine Dei intelligatur, quàm quid Deus sit: quid nominis autem definitio, quæ est rudis & imperfecta notio cuiusque rei, in omni scientia præcedere debet quæstionem, an aliquid sit.

Non

Non damno tamen eos, qui alium sequuti sunt ordinem: exactius enim hanc rem pertractantes eodem quæsito, quid nomine Dei intelligatur, vel tanquam notum supposuerunt, vel explicarunt: a omnes enim, saltem in confuso, nomine Dei intelligunt primum principium, ac primam rerum omnium causam, qua nihil maius excogitari potest.

a S. Ath. orat. con. Idola.

Sed, cum in hac vita clarè; & intuitiue, distinctè, ac perfectè, quid Deus sit, cognoscere non possimus; vt ex Scripturis, & Patribus initio huius capitis diximus; ne humanæ conditionis obliti, existimare videamur, perfectum posse formari conceptum de diuina essentia; quo explicetur quid Deus sit: visum est, non ab re esse, si explicato quæsito; Quid Deus sit; ex eo deduceremus, Deum esse:



CAPVT

nis, & primum efficiens, in se vti exemplar, & idea continens naturas, & essentias rerum omnium, quæ per participationẽ sunt, vel existũt.

Ex quarum existentia ab effectu ad causam procedendo, probatur, Deum esse; quia debet dari primum [e] agens; & vltimus finis, qui est Deus per essentiam existens; ad quem cum peruenerimus, necessario sistendum est: & ita non datur processus in infinitum in causis.

e S.Dionys. c.5 de diu.nom.

Ex his possumus excitare mentem ad intelligendum, quomodo mundus rerum multiplicitate, varietate, ordine, & dispositione, numero, pondere, ac mensura armatus, pugnet contra insensatos Atheos, qui, cum ad sensuum leges viuere velint, ijsdem reclamantibus sensibus intra cordis latebras inscitiam suam abscondere coguntur, Dauide teste Psalm. 52. [t] Dixit insipiens in corde suo non est Deus.

Reijciũtur Athei.

t Psal. 52.

Quod, si quæras, cur præpostero ordine prius explicauerimus, quid Deus sit, quàm, an Deus sit:


Respondeo, id factum esse, vt intelligeremus adeo imperfectum, & obscurum esse conceptum, quem in hac vita formamus de diuina essentia, vt potius explicet, quid nomine Dei intelligatur, quàm quid Deus sit: quid nominis autem definitio, quæ est rudis, & imperfecta notio cuiusque rei, in omni scientia præcedere debet quæstionem, an aliquid sit.

Non

Non damno tamen eos, qui alium sequuti sunt ordinem: exactius enim hanc rem pertractantes eodem quæsito, quid nomine Dei intelligatur, vel tanquam notum supposuerunt, vel explicarunt: a omnes enim, saltem in confuso, nomine Dei intelligunt primum principium, ac primam rerum omnium causam, qua nihil maius excogitari potest.


a S. Ath. orat. con. Idola.

Sed, cum in hac vita clarè; & intuitiue, distinctè, ac perfectè, quid Deus sit, cognoscere non possimus; vt ex Scripturis, & Patribus initio huius capitis diximus; ne humanæ conditionis obliti, existimare videamur, perfectum posse formari conceptum de diuina essentia, quo explicetur quid Deus sit: visum est, non ab re esse, si explicato quæsito; Quid Deus sit; ex eo deduceremus, Deum esse:



CAPVT

CAPVT SECVNDVM
DE SIMPLICITATE DEI.


X dictis conſtat, melius de Deo in hac vita cognoſci, quid non ſit, quàm quid ſit. quamuis, vti explicatum eſt capite præcedenti, poſſimus aliquem de Deo formare conceptum; qui conceptus cum omnium ſit primus, & per quem omnia, quæ de Deo dicuntur, probari, & quæ de eo negantur ab ipſo remoueri poſsint;

Hinc fit, vt primò agamus de ſimplicitate Dei, per quam a Deo, qui eſt per eſſentiam exiſtens, omnis compoſitio remouetur, quæ eſt cauſa, ob quam compoſitum eſt dependenter a partibus: quod repugnat primo principio per eſſentiam exiſtenti, vt infra.





QVAE-

QVAERITVR PRIMO; AN DEVS SIT COMPOSITVS EX MATERIA, ET FORMA.



RESPONDEO, dicendum: Deus non est compositus ex materia, & forma.

Constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. firmiter, & cap. damnamus. de summa Trinitate, & Fide Catholica. Conc. Lateran. sub Innoc. iij.

Et probatur; quia [e] quod est per essentiam, vel cuius essentia est esse, seu existere, existit perfectissimo modo: nam, cui primò, & per se, & essentialiter conuenit aliquod prædicatum; ei perfectissimo modo conuenit. e s. Tho. p.p. q.19. art.4. q.2. ar.1. & 3.

At Deo conuenit esse per essentiam; iuxta illud Exodi; [o] Ego sum, qui sum. o Exod. cap. 3.

Ergo conuenit ei perfectissimo modo.

Ad quem perfectissimum modum explicandum (quomodo, scilicet, Deus per essentiam existens, sit etiam per essentiam, & independenter a quolibet alio bonus pius, sanctus, iustus, potens, fortis, immortalis, & beatus)

a Matt. 19 Luc. 18.
b Apoc. 14.
c 1. Reg. 2.
d 2. Machab. 1.
e 1. ad Timot. 6.
f 2. Reg. 2.
g 1. ad Timot. 6.

tus) dicitur Matth. 19. & Luc. 18. [a] solus bonus: Apocalypſ. 14. [b] solus pius: 1. Regum 2. [c] solus ſanctus: 2. Machabæorum 1. [d] solus iuſtus: 1. ad Timoth. 6. [e] solus potens: 2. Reg. 2. [f] solus fortis: & 1. ad Timothæ. 6. [g] solus immortalis, & beatus: quibus omnibus declaratur, quicquid Deo conuenit, debere ei perfectiſſimo modo conuenire; quod eſt per eſſentiam, & independenter conuenire.

Sed melius eſt, & perfectius, reliquis paribus, aliquid eſſe ſimplex, quàm compoſitum: Ergo id Deo tribuendum eſt.

Minor ſubſumpta probatur: nam, quod eſt compoſitum, non poteſt eſſe primum, & independens; quia habet eſſe, & eſt dependenter a partibus, ex quibus eſt, & componitur: quod autem eſt dependenter ab alio tanquam a parte componente, non eſt primum: ante ipſum enim, ſaltem natura, ſunt priores partes, ex quibus componitur: quod eſt contra rationem primi principij, & actus puri per eſſentiam exiſtentis. Et eſt conſiderare in eo, quod ex materia, & forma componitur, aliquid imperfectum; nam eſt in eo materia, quæ eſt indigens forma, & eſt in potentia ſecundum ſe ad recipiendum perfectionem a forma, quam etiam de facto recipit.

Ex quo vlterius ſequitur, quod eſt compoſitum ex materia, & forma, habere in ſe poten-

rentiam ad non esse: nam, separatis partibus ab inuicem, desinit esse compositum. Quæ omnia repugnant primo enti per essentiam existenti; qualis est Deus; vt supra explicatum est.

Quod si dicas, tanto nexu esse inter se coniuncta materiam, & formam in Deo, vt re ipsa non possint ab inuicem separari;

Adhuc tamen cum re ipsa distinguantur, nec sint eiusdem substantiæ, & essentiæ materia, & forma; possunt intellectu separari: nec vlla erit contradictio in terminis, si concipiantur separatæ; cum ratione essentiæ, ac substantiæ non sint idem, sed differant: quæ si separatæ concipiantur, concipitur Deus non esse.

At implicat in terminis contradictionem, dicere, aliquid esse per essentiam existens, & posse concipi non esse.

[a] Sunt enim æternæ veritatis propositiones, in quibus prædicatum est de essentia subiecti: Et ob id ingenerabiles, atque incorruptibiles rerum omnium essentiæ dicuntur.

a Arist.l. 1. post.c.4 s.Aug.li. 2. de lib. arb.cap.8. s.Thom. p.p.q.16. art.8.

Ergo implicat contradictionem, intelligere Deum, qui est per essentiam, & intelligere, eum posse non esse; quod contingeret, si esset dependenter a partibus componentibus: tum quia nō esset simpliciter, & absolutè primum: tum etiam quia non esset independens, & posset concipi desinere esse, & non existere.

D Quæ

Quæ omnia destruunt notionem essentialem Dei, quæ est, esse per essentiam, explicatam illis verbis, o DEVS EST, QVI EST: nam prius in genere causæ materialis, & formalis conueniret esse materiæ, & formæ, quæ Dei compositionem ingrederentur, quàm ipsi Deo: quod est contra rationem primi entis per essentiam existentis.

o Exod. 3.

Quod si dicas; Personæ diuinæ sunt ab inuicem realiter distinctæ; & tamen non possunt concipi, nec dici separatæ, aut diuisæ.

Ergo non rectè inferebamus, ex eo, quod materia, & forma ponerentur distinctæ, eas posse concipi, vt separatas partes, ac diuisas.

Respondetur: quæ ita sunt distincta, vt non sint eiusdem substantiæ, & essentiæ, illa possunt concipi, vt separata, & diuisa: quæ verò sunt distincta ita, vt sint eiusdem essentiæ, & substantiæ, non possunt concipi, vt separata, & diuisa; quales sunt diuinæ Personæ, quæ cum relationibus distinguantur; sunt tamen eiusdem naturæ, substantiæ, & essentiæ; vt deducitur ex Concilio Nicæno: in quo diuinæ Personæ consubstantiales dictæ sunt; & per consequens coæternæ, & coæquales. Et expressè in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio cap. damnamus de sum. Trini. & Fid. Cathol. hoc idem habetur.

Concil. Nicæn.

Conc. Lateran. sub Innoc. iij.

Et ideo non possunt concipi, vt separatæ;

&

& diuisæ ab inuicem; cum in illis sit eadem numero essentia.

At verò, vti dictum est, materia, & forma in compositis differunt ratione substantiæ, & essentiæ: nam materia est essentialiter potentia, forma essentialiter actus; & ideo nulla est repugnantia, si separatæ, aut diuisæ ab inuicem concipiantur.

EX DICTIS COLLIGITVR.

Neque Deum esse posse [e] corpus: non solum, quia corpus est compositum ex materia, & forma: sed etiam, quia, si daretur corpus aliquod simplex, vti a quibusdam cælum esse asseritur; adhuc esse corpus, repugnaret conceptui essentiali Dei: nam nullum est considerare indiuisibile corpus; sed necesse est omne corpus habere quantitatem, & per consequens partes, quibus integretur.

e s. Athan. disp. cōtra Ariū. & in Decret. Nicęn. Synod. & orat. con. Idola. e s Greg. Nazian orat. 34 de Theologia 2. & orat. 45. de Diuinit.

At existenti per essentiam repugnat, esse dependenter a quibuscunque partibus: nam, quod est dependenter ab alio, non est simpliciter, & absolutè primum, & per essentiam existens. Ergo [a] repugnat Deo habere partes, esse corpus, & quantum formaliter.

a Conci. Later. sub Innoc iij: cap. dānamus de summa Trin. & Fid. Cath.

Quia, vti dictum est, & repugnat existenti per essentiam habere partes: Et adhuc (nisi de Deo negare vellemus vitam contra [f] scripturas;

f Num. 14. Deut. 5.

Iudic.8. 1.Reg.14 Ioan.5.6.21.14. Act. 3.

Et manifestam rationem) deberemus dicere, Dei corpus animatum esse: atque ita non effugeremus etiam aliam compositionem, quæ est ex materia, & forma, anima scilicet; & corpore: & sic Deus compositus esset ex materia, & forma; quod diximus supra repugnare conceptui essentiali Dei.

Virtualiter autem Deum esse quantum, & explicari a nobis per dimensiones; Et scripturis docemur; & nostro intelligendi modo est maximè accommodatum.

Quare ad omnia argumenta, quæ ex scripturis, traditionibus, Conciliorum decretis, Summorum Pontificum Constitutionibus, ac Patribus desumuntur ad probandum, vel Deũ esse compositum ex materia, & forma, vel esse corpus, & quantum; Respondendum est; Quæ dicuntur de Deo, & videntur secum ferre quantitatem, vel corpus; intelligenda sunt de quantitate virtutis non molis: nec propriè, sed metaphoricè, & per similitudinem accipienda sunt; nam quæ sunt remota a sensibus, qualia sunt diuina attributa, quæ sunt remotissima; reuelantur, & explicantur nobis per ea, quæ nobis magis obuia, ac familiaria sunt, ob sensibiles eorum qualitates; qualia sunt corpora.

a Genes. 14. & 20. Iob 22. psal.46.78 & 137. Daniel. 5. Act.16. Hebr.7.

Ex quo fit, vt dicatur [a] excelsus, [b] magnus, [c] latus, [d] profundus: [e] Leo, [f] Lapis, [g] Agnus, Petra;

[f] Petra: quæ aut quantitatem, aut corpus secum ferre videntur.

Sed hæc, & similia de Deo dicuntur, vel quia virtute sit talis, vt exempli causa, magnus virtute, scientia profundus: atque ita non propriè; sed metaphoricè, vti docent [a] S. Dionysius; [b] Sanctus Ambrosius, [c] Sanctus Hieronymus, [d] Sanctus Augustinus, [e] Eucherius Episcopus Lugdunensis, [f] & Sanctus Thomas.

Vel etiam responderi potest; quædam dici de Deo ratione humanitatis assumptæ.

Et cum inter cætera scripturæ loca, quæ adducuntur ad probandum, Deum esse corpus, vel corporea habere membra; sit ille Genesis; [a] Faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.

Quomodo hic locus intelligendus sit, colligere potes ex ijs, quæ docet Sanctus Augustinus. [a] Imago Dei intus est, non est in corpore, non est in auribus istis, quas videtis, & oculis, & naribus, & palato, & manibus, & pedibus; sed est facta tamen, vbi est intellectus, vbi est mens, vbi ratio inuestigandæ veritatis: vbi est fides, vbi est spes vestra, vbi charitas vestra, ibi habet Deus imaginem suam.

Et Sanctus Gregorius Nissenus in eundem locum; [a] Nihil profectò, inquit, in forma corporis est, quod Dei imagini congruat.

His

b Exod. 18. Deut. 6 1. Esdr. 5. 6. 8. Iob 36. psal. 46. 47. 76.
c Iob 11. e Apoc. 5
f Marc. 12. Mat. 21. Luc. 20. Act 4. ad Ephes. 2. 1. Petr. 2.
g Ioan. 1. Apoc. 5. 6. & 7.
2. Reg. 22. 1. Cor. 10.
a c. 9. de diu. nom.
b lib. 2. de spiritu sancto cap. 10.
c in epist. ad Algasiam q. 2. d ep. iij.
e in trac. de formulis spiritualis intelligentiæ.
f p. p. q. 3. art. 1. & q. 30. ar. 3. in corp.

a cap. 1.

b Enarrat. 2. in ps. 48.

a in cap. 1. Gen.

b Hom. 10 in Hexamerum.

His adde Basilium; [b] Faciamus hominem, inquit, ad imaginem nostram; hoc est, Homini impertiamur, ac prærogemus affluentem rationis copiam.

c art. 1. ad 2.

[c] Et Sanctum Thomam p. p. q. 3.

Anaxim. philosop. error reijcitur.

a lib. 10. conf. c. 6.

Ex his facilè reijcitur Anaximenis Philosophi error, qui ex Sancto [a] Augustino, corpus Deo tribuebat.

Anthropomorphy. hæresis reijcitur.

t Epiph. con. hæreses hæres. 70.

u Baro. ad annum 341.

Cōcilior. general. & prouin. tom. 1. par. 1. pag. 418.

Et Anthropomorphytarum hæresis: qui [t] Hominis formam Deo tribuentes, antesignano Vadio, siue Audæo, [u] temporibus Damasi, & Siricij Papæ, & Valentiniani Senioris Imperatoris, Ecclesiam vexarunt.

r Conci. Later. sub Innoc. iij. ca. firm. & ca. damnam. de summ. Trin. & fid. Cathol.

Est enim, vti visum est, contra rationem primi principij per essentiam existentis, esse [r] corpus; & contradicit scripturæ, Ioannis 1. Spiritus est Deus. Spiritum autem ab omni corporea mole seiunctum esse, colligitur ex illo Lucæ 24. Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere: qui, scilicet, non sum Deus tantum, sed Deus, & homo.

r S. Athan. orat. cō. idola, & disp. con. Arium.

r S. Greg. Naz. orat. 34 de Theolo. 2. & or. 45. de Diuinit.

[r] Repugnat ergo Deo, quatenus Deus est, corpus esse, & formam, seu humana habere membra, quæ sine corpore propriè esse non possunt.

QVAE-

QVAERITVR SECVNDO VTRVM IN DEO SIT COMPOSITIO EX GENERE, ET DIFFERENTIA.



ESPONDETVR, in Deo non esse compositionem vllam ex genere, & differentia.

Probatur: nam, quod est compositum ex genere, & differentia, debet habere aliquid, in quo vniuocè conueniat cum alijs speciebus eiusdem generis; & aliquid, quo differat: verbi gratia, Homo, qui genere, & differentia constat, conuenit vniuocè cum cæteris speciebus animantium; quia est Animal: & habet esse rationale, per quod differt.

Sed in Deo nihil est, quo vniuocè conueniat cum alijs rebus; vt patet discurrenti per ea prędicata, quæ Deo, & creaturis conueniunt.

Ergo in Deo non est compositio ex genere, & differentia.

Nam primò ens, quod est primum, ac communissimum prædicatum, non potest vniuocè conuenire Deo, & creaturis.

Quod

Aduertendum est, ens analogicè dici de Deo, & creaturis, analogia mixta, scilicet attributionis, & proportionis.

Quod enim vni conuenit primò, & per se, simpliciter, & absolutè, & per essentiam; & alijs secundariò, dependenter, & per participationem; non potest illis vniuocè conuenire, sed analogicè.

p s.Hiero. in ep. ad Damas. quoniã vetusto, & in cap. 3. ad Ephes.
s Berna. lib. 5. de consid. ad Eugen.
s. Augu. lib. 7. conf. cap. 11.

At esse ens, [p] conuenit Deo primò, & per se; cum sit ens per essentiam existens: cæteris autem rebus, esse ens, conuenit per participationem, & dependenter a Deo.

Ergo non vniuocè conuenit Deo, & Creaturis.

Conuenire autem esse creaturis dependenter a Deo; confirmat id, quod dicit Sanctus Augustinus. [i] Inspexi cætera infra te, & vidi, nec omnino esse, nec omnino non esse: esse quidem, quoniam abs te sunt; non esse autem, quoniam, id quod est, non sunt: id enim verè est, quod incommutabiliter manet.

i lib. 7. conf. c. 11.

Ex quo loco euidenter deducitur, quæcunque sunt infra Deum, ideo esse, quia sunt dependenter a Deo qui verè est; cum incõmutabiliter sit, ex eo, quod sit per essentiam existens, iuxta illud;

l Exod. 3.

[l] Deus est, qui est.

Ergo ens non est genus vniuocum, cum per prius, & posterius dicatur.

Eodẽ modo licet discurrere per alia prædicata, quæ cõmunia sunt Deo, & creaturis: nam ne-

neque substantia, quæ est secundum prædicatum commune Deo, & creatis substantijs, conuenit vtrisque vniuocè: Deo enim conuenit esse substantiam per essentiam: at rebus creatis per participationem, & dependenter à Deo.

Ergo neque etiam substantia, quatenus dicitur de Deo, & creaturis, potest esse prædicatum vniuocum; cum non ex æquo vtrisque cõueniat; sed vni conueniat per essentiam, primò, & per se, alteri verò per participationem, secundariò, & dependenter.

Idquè confirmatur ex eo, quod docet Sanctus Dionysius, [a] Deum esse supra substantiam. a c. 1. de diu. nom.

Substantia ergo, quatenus dicitur de Deo, & creatis substantijs, in sententia huius Sancti Doctoris, excellentiori quodam, & eminentiori modo Deo conuenit, quàm creaturis; cum Deo conueniat esse substantiam; non quia accidentibus subest; sed quia in alio non existẽs, per essentiam suam dicitur esse substantia, dependenter a qua, & per participationem, substantiæ creatæ dicuntur esse, & subsistere: essentialiter enim creata omnia a primo ente, qui est Deus, dependent, secundum quamlibet rationem considerata.

Ex his sequitur, neque esse in Deo propriè differentiam: nam differentia, propriè loquendo, est in ijs rebus, in quibus est genus, qui sit

gradus communis, conueniens vniuocè, & ex æquo omnibus speciebus contentis sub eo genere.

Quare, quæ genere vniuoco non conueniunt, licet dicantur differre; magis propriè tamen dicuntur esse primò diuersa, & se totis differre; quia non habent aliquem gradum, in quo vniuocè conueniant.

QVAERITVR TERTIO VTRVM IN DEO SIT COMPOSITIO EX ESSENTIA, ET ESSE.



RESPONDETVR; in Deo non esse compositionem ex essentia, & esse, seu existentia.

Conclusio colligitur ex Lateranensi Concilio sub Innocentio III. (si compositio ex essentia, & esse est verè, ac propriè compositio) ibi enim asseritur Deus esse omnino simplex.

cap. firmiter de sum. Trini. & Fid. Cathol.

Probatur; nam, quotiescunque aliqua ita se habent, vt sint idem re, & conceptu; non possunt in compositionem venire ad vnum tertium

tium

tium cóstituendum; cum sint vnum, & idem.

Sed, vt probatum est capite primo, ex eo loco Moysis, o EGO SVM QVI SVM; essentia, & esse, seu existentia in Deo neque re, neque ratione, seu conceptu distinguuntur. o Exod.3.

Ergo essentia, & esse in Deo non possunt vt extrema inter se distincta vniri ad componendum vnum Deum; qui cum sit per essentiam existens, est actus purus, excludens omnem compositionem, quæ omnimodæ simplicitati repugnat; qualis est illa, quæ Deo, per essentiam existenti, tribuenda est.

QVAERITVR QVARTO VTRVM IN DEO SIT COMPOSITIO EX SVBSTANTIA, ET ACCIDENTIBVS.



RESPONDETVR, in Deo nullum esse, aut esse posse accidens; & per consequens nullam accidentalem compositionem.

Probatur. Nam, quod est per essentiam quicquid est; non potest esse per aliquod accidens.

At Deus quicquid est, est per [a] essentiam: vt expressè colligitur ex epistola decretali Sancti Leonis ad Turribium Episcopum, asserentis, [b] quicquid in Deo est, non qualitatem, sed essentiam esse: eadem autem est ratio negandi de Deo qualitatem, quæ est negandi cætera accidentia:

a s.Basi ep.141.ad Cæsarian. s.Aug.lib 5.de Trinit.cap.2.3.& 4. b epist.93.cap.5. s.atha.ep.ad Episcopos Aphrican.

Ergo nullum est accidens, per quod Deus aliquo modo sit.

Maior est certissima: esse enim per essentiam, est esse primò, & per se; non per accidens, aut ratione alterius: opponuntur enim hæc duo, esse per se, & esse per accidens, siue ratione alterius; vt cum Aristotele, omnes Philosophi.

Minor, licet satis constet ex dictis, adhuc tamen explicatur, & probatur. Nam, quod est per essentiam, est primum ens, nulla alia re [c] indigens, & a quolibet alio indepēdens, fons, & origo omnis perfectionis.

c s.Atha. ora.con. Idola. s.Hilar. enarrat.in ps.52. s.Leo epist.93.decret. cap.5.

Ergo nihil potest esse in eo, quod sit accidens: nam, quod habet in se accidens, habet aliquam indigentiam, & passiuam potentiam recipiendi aliquam perfectionem; quod est contra rationem primi entis, primi principij, primæ causæ; quæ non aliunde, quàm a se ipsa debet habere omnem perfectionem, & per consequens debet esse actus purus, excludens omnem [d] indigentiam, & receptiuam poten-

d s.Athan.or.cōn. Idola.

tiam,

tiam, quam passiuam vocant. s.Hilar. enarrat. in ps. 2.

Cum ergo Deus sit per essentiam existens; quicquid est in eo, erit etiam per essentiam.

Quod ex Magno [a] Leone probatur: de Deo enim dicitur, quod sit [b] veritas, sapientia, & iustitia: quæ de Deo abstractè non prædicarentur, si accidentia Dei essent, & non essentia: sicuti [c] nemo Hominum est veritas, sapientia, & iustitia, quamuis particeps sit sapientiæ, veritatis, & iustitiæ, quæ sunt Hominum qualitates, & accidentia.

a ep. 93. cap. 5.

b Ioan. cap. 14.

c s. Leonis verba.

QVAERITVR QVINTO VTRVM DIVINA ATTRIBVTA DISTINGVANTVR AB ESSENTIA DIVINA; ET INTER SE; RE, AN RATIONE TANTVM.

RESPONDETVR; attributa Dei absoluta; conuenientia, & communia tribus Personis, non distingui ab essentia diuina re, sed conceptu, & ratione tantum.

Probatur prima pars: nam, si attributa diuina re ab essentia distinguerentur, vel essent substantia, vel accidens.

At accidentia, vt patet ex dictis præcedenti Quæsito, esse non possunt.

Ergo debent esse substantia.

Sed nulla substantia potest esse in alio, nisi sit aut eius genus, aut differentia, aut aliqua alia pars componens, veluti materia, & forma, aut ad summum modus: qualis est existentia in rebus creatis; vel vt tota essentia, sicut species in indiuiduis; quæ indiuidua ipsi essentiæ non superaddunt, nisi modum.

Verum ex dictis patet, in Deo non esse aliquam compositionem, aut ex materia, & forma, aut ex genere, & differentia; neque etiam ex esse, & essentia: sed omnis compositio a Deo remouenda est, cum sit omnino simplex, ex Lateranensi Concilio sub Innocentio III.

C. firmiter, & cap. damnam. de sum. Trinit. & fid. Cath.

Dicendum ergo est, attributa Dei non posse distingui ab essentia diuina: cum sit contra rationem primi principij, primi entis, primæ causæ, ac puri actus, aliquod admittere accidens, aut aliquam compositionem.

Quare quicquid est in Deo, erit Deus, & non distinguetur a diuina essentia.

Quod confirmatur ex ijs scripturæ locis, in quibus ea, quæ in rebus creatis accidens, aut qualitatem dicunt; de Deo non solum in concreto, sed etiam in abstracto prædicantur, vt [b] Ego sum via, & veritas, & vita. [l] Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas,

b Ioan 14.
l 1. Ioan. 5.

ritas, quod de Chriſto dicitur; qua ratione Deus eſt: qua enim ratione eſt homo, non poteſt dici veritas:

Nam Sanctus Leo Magnus in eadem epiſtola decretali hæc habet; [m] Nemo Hominum veritas, nemo ſapientia, nemo iuſtitia eſt, ſed multi participes ſunt veritatis, & ſapientiæ, atque iuſtitiæ: ſolus autem Deus nullius participationis indigus eſt.

m epiſt. 93. cap. 5.

De quo quicquid dignè vtcunque ſentitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia.

Huic doctrinæ cum aduerſarentur Petrus Abailardus, & Arnoldus de Brixia; eorum error a Diuo Bernardo in Senonenſi Concilio reiectus, Patrum ſententia damnatus eſt; cum vero Abailardus ipſe ad Sedem Apoſtolicam appellaſſet; vterque iterum Romæ damnatus eſt ab Innocentio II confirmante, quod in Senonenſi Concilio actum fuerat, & ſententiam a ſe ante latam in Concilio Lateranenſi.

Petri Abailardi. & Arnoldi de Brixia hęreſis reijcitur. Côcilior. general. & prouin. to. 3. p. 2 pag. 489. & 493 in Conc. Later. general. ſub Innoc. ij. Anno Domini 1139. Et in Conc. Senonen. ſub eod. pontif. Anno Domini 1140. Baron. ad Annum 1139. & 1140. S. Berna. epiſt. 189. 190. & 191. cap. firmi. de ſum. Trin. & fid. Catho.

Et expreſsè etiam ſub Innocentio III. in Lateranenſi Concilio damnatur eorum omnium error, qui audebant in Deo, qui eſt actus purus, aliquam compoſitionem fingere; cum ibi Deus eſſe omnino ſimplex aſſeratur.

Quod verò attributa Dei inter ſe etiam re non diſtinguantur;

Probatur: quia in diuinis [o] nulla eſt realis diſtinctio, vbi non eſt relatiua oppoſitio.

o S. Tho. p. p. q. 30. art. 2. & q. 37. ar. 2

Sed

Sed inter attributa absoluta, & communia tribus Personis nulla est relatiua oppositio.

Ergo nulla etiam inter ea erit realis distinctio.

Quare potest dici re ipsa; Deus est sua bonitas, sua iustitia, ac misericordia: & in Deo re ipsa potest dici; misericordia est iustitia, & bonitas est sapientia; & sic de cæteris.

At dices. Si attributa in Deo ab inuicem non distinguuntur;

Ergo etiam in Deo idem erit intellectus, & voluntas, intelligere, & velle; quæ sunt prædicata absoluta communia tribus Personis.

Sed non videtur in Deo idem esse intellectus, & voluntas, intelligere, & velle.

Ergo non est contra rationem primi entis existentis per essentiam, & primæ causæ, & actus puri nullo indigentis, & ab omni alia re independentis; omnem excludere compositionem, aut distinctionem in absolutis attributis, vel prædicatis.

In Deo autem non idem esse intellectum, & voluntatem, intelligere, & velle;

Probatur: nam Pater per intellectum, ac intelligendo generat Filium realiter, & non per voluntatem: Pater, & Filius voluntate spirant Spiritum Sanctum, & non intellectu.

Ergo intellectus, & voluntas, intelligere, & velle, quæ de Deo formaliter prædicantur, sunt

in

in Deo, & ab inuicem distinguuntur.

Respondetur; in Deo idem esse re ipsa intellectum, & voluntatem, intelligere, & velle; & illam simplicissimam, & indiuisam entitatem, quæ est intellectus, esse voluntatem; distingui tamen conceptu; nam ob nostri intellectus, ac modi cognoscendi imbecillitatem; qui [a] inuisibilia Dei per visibiles creaturas cognoscimus; non possumus ea, quæ in creaturis sunt distincta, vnico conceptu concipere; sed pluribus conceptibus concipimus. a Rom. 1.

Quod verò in argumento dicitur; Pater per intellectum realiter generat filium, & non per voluntatem; si ita explicetur, vt intelligatur per intellectum, qui sit realiter alia res a voluntate in Patre, falsum est: si verò realiter dicatur Pater per intellectum, & non per voluntatem generare filium; idest per illam simplicissimam entitatem, quæ est intellectus, & voluntas in Deo, quatenus realiter æquiualet intellectui, & non voluntati, Pater generat filium, vera est propositio.

At verò hoc non facit esse realem, & actualem distinctionem inter intellectum, & voluntatem in Deo, sed virtualem tantum; quæ virtualis distinctio non tollit omnimodam simplicitatem, & vnitatem in Deo; sed tantummodo probat, simplicissimam, & indiuisissimam Dei entitatem æquiualere realiter

pluribus, ac distinctis rebus realiter? Nam in casu nostro, verbi gratia, simplicissima entitas, quæ re ipsa formaliter est intellectus, & voluntas in Patre; quatenus est principium, quo Pater generat filium, dicitur intellectus: & quatenus in Patre, & Filio est principium, quo spirant Spiritum Sanctum, est voluntas; sed hoc non inducit actualem distinctionem, sed virtualem tantum.

Idque verum esse, explicari potest exemplo; nam vna, & eadem res cum eisdem connotatis; diuersimodè tamen connotatis, & consideratis, dicitur realiter a se ipsa differre.

Eadem enim indiuisibiliter sumpta entitas, quæ est via accliuis, & decliuis, quatenus habet pro termino, a quo, locum deorsum, & pro termino, ad quem, locum sursum, dicitur accliuis: & e contrario, quatenus habet pro termino a quo, locum sursum, & pro termino, ad quem, locum deorsum, realiter dicitur decliuis; Et realiter motus, qui fiunt super huiusmodi spatium, & viam, sunt inter se differentes, & oppositi; etiam si fiant super idem spatium, & inter eosdem terminos: nam vnus est motus sursum, & alius deorsum.

Eodem modo per eandem indiuisibilem sumptam entitatem agens agit, & patiens patitur; non tamen verum est, vt dicit Philosophus agens patitur, aut patiens agit; quia illa

Arist. lib. 3. phys.

ea-

eadem entitas, quæ est actio, passio, & motus; quatenus denominat principium, a quo, est actio; quatenus denominat principium, in quo, est passio; & quatenus est tendentia mobilis, & subiecti in terminum, ad quem, dicitur motus.

Ergo possumus dicere; Pater per intellectum, & non per voluntatem realiter generat filium: Et eodem modo, Pater, & filius realiter per voluntatem, & non per intellectum spirant Spiritum Sanctum.

Neq; ob id necesse est ponere vllam actualem distinctionem inter voluntatem, & intellectum Dei; sed sufficit virtualis tantum.

Et hoc eodem modo per hanc virtualem distinctionem possunt saluari ea omnia, quæ de Deo dicuntur, & videntur requirere realem distinctionem vti explicabitur, quando opus fuerit, suis locis.

Quinimo etiam, qui in vna, eademq. anima dicunt gradum vegetandi, sentiendi, atque intelligendi non esse inter se re ipsa distinctos, hac virtuali distinctione saluant, qua ratione à gradu vegetandi sint tantum vegetantis animæ actus, vt nutritio, augmentatio &c., & a gradu sentiendi sint sentiendi actus; vt videndi, audiendi &c., & a gradu intelligendi sit intelligere, iudicare, discurrere &c.

COLLIGITVR I.

IN Deo attributa distingui conceptu, & ratione fundata in re ipsa; quam dicunt distinctionem rationis ratiocinatæ; siuè formalem.

Probatur. Nam, quæ concipiuntur distinctis conceptibus cum fundamento in re ipsa, distinguuntur ratione ratiocinata.

Sed attributa Dei concipiuntur distinctis conceptibus cum fundamento in re.

Ergo distinguuntur ratione ratiocinata, quam alij appellant formalem distinctionem.

Minor probatur: nam, quod est virtualiter multiplex, & æquiualens pluribus rebus, est fundamentum, cur concipiatur pluribus conceptibus ab eo intellectu, qui non clarè, & intuitiuè cognoscit illam simplicem entitatem; sed cognoscit simplicem entitatem æquiualentem pluribus rebus per species illarum rerum, quæ inter se sunt distinctæ.

Sed ab intellectu humano adhuc in via, simplicissima Dei entitas, quæ pluribus rebus æquiualet, & virtualiter est multiplex, concipitur pluribus conceptibus.

Ergo est fundamentum distinctionis humano intellectui adhuc in via existenti, vt concipiatur pluribus conceptibus, quod in se actu

vnum est, virtualiter tamen, & æquiualenter multiplex.

Quare; si Scotus cum suis velint attributa inter se, & ab essentia distingui ex natura rei ita; vt in Deo nulla sit re ipsa actualis distinctio, sed virtualis tantum, quæ ideo dicatur ex natura rei, quia res ipsa concepta, est virtualiter multiplex; & exigens concipi pluribus conceptibus; ab homine saltem viatore; Non ob id eos redarguendos censerem, cum idem re ipsa dicant, quod cæteri Theologi; ac tantum in terminis differant, qui possunt sano intellectu explicari: nam aliàs realis, & actualis distinctio in diuinis attributis, vel a se inuicem, vel ab essentia diuina; est repugnans actui puro, ac simplicißimo per essentiam existenti; sicutì probatum est.

COLLIGITVR. II.

Quomodo respondendum sit quærentibus de diuinis attributis, num formaliter, verbi gratia; idem sit intellectus, & voluntas, iustitia, & misericordia in Deo: nam si illud, formaliter, accipiatur absque vllo respectu ad nostrum intelligendi modum; dicendum est, formaliter esse veras illas propositiones, in quibus dicitur, idem est intellectus, & voluntas, iustitia, & misericordia;

Et hoc verum est, siue attributa inter se comparentur, siue cum essentia: non enim est minus verum dicere veritas est bonitas in Deo, quàm dicere deitas est bonitas, & vice versa.

At verò si attributa diuina considerentur, quatenus a nobis sunt inter se, vel ab essentia diuina distinctis conceptibus concepta; non est verum dicere, sapientiam esse bonitatem; nam, dum concipimus Dei bonitatem distincto conceptu a sapientia, non concipimus sapientiam.



CAPVT

CAPVT TERTIVM DE PERFECTIONE DEI.



X ijs, quæ dicta sunt duobus præcedentibus Capitibus constat, cum Deus sit per essentiam existens, actus purus, omnium rerum prima causa efficiens, ac finalis, & (vt exemplar, & idea) causa etiam formalis extrinseca, eum debere esse maximè in actu, & per consequens perfectissimum. Nihil enim deesse potest actui puro per essentiam existenti, qui non ab alio recipit perfectionem, sed alijs omnibus rebus eam communicat: nam, cui aliquid deest, est in potentia ad illud; quod repugnat actui puro per essentiam existenti, a quo necesse est esse quicquid perfectionis reperitur in rebus creatis.

Cum ergo Deus sit primò, & per se ens, & dependenter ab eo cæteris rebus conueniat quicquid perfectionis habent; nihil erit perfectionis in tota latitudine entis, quod perfectius, & excellentius non reperiatur in Deo: in quo autem rerum omnium perfectiones re-

pe-

periuntur, quomodo ei aliquid deesse possit, intelligi non potest.

Non ob id tamen dicendus est Deus aut esse corpus, aut lapis formaliter, aut quoduis aliud creatum; quia non est necessarium, vt causa semper sit eiusdem rationis cum effectu, sed sat est, si virtualiter, & eminenter illum in se contineat.

Nam Sol, verbi gratia, calefacit; non tamen ipse est calidus formaliter, sed virtualiter; Et ideo Sol dicitur causa æquiuoca caloris; non quia æquiuocè producat calorem; nam verè, propriè, & realiter producit calorem; sed dicitur causa æquiuoca; quia non continet in se formaliter calorem; nec est formaliter calidus; sed virtualiter.

Quare cum non eodem modo dicatur calidus Sol, quo sunt calida ea, quæ ab ipso calefiunt; dicitur causa æquiuoca.

Ad hoc ergo, vt agens producat, debet esse quidem actu; sed sufficit, quod sit in actu virtuali, & eminenter in se contineat effectum.

Quinimo causa continens in se virtualiter, & eminenter effectum, est perfectiori modo in actu, quàm quæ continet tantum formaliter.

Sat ergo erit ad hoc, vt Deus sit omnium rerum causa, si uirtualiter, atque eminenter illas in se contineat; quod optimè intelligitur, si co-

si cognoscamus, quomodo Deus dicatur ens per per essentiam existens, & cętera omnia per participationem.

Est enim tantum formaliter Deus quicquid ita dicit perfectionem, vt nullam dicat imperfectionem; vt bonus, sapiens, & cætera huiusmodi.

Et est virtualiter, & eminenter ea omnia, quæ ab ipso sunt: Est enim illorum causa, non quidem vniuoca, sed æquiuoca, dans proprijssimè illis esse; non formaliter, sed eminenter rerum a se creatarum continens perfectiones.

Et res omnes in Deo contineri, probatur ex [a] Ioanne, Quod factum est in ipso vita erat. Sine ipso autem factum est nihil. Et, Omnia per ipsum facta sunt. a cap.1.

Et non obscurè hoc idem indicant Apostoli verba;[b] Ex ipso, & in ipso sunt omnia. b Rom.11.

Qui alibi de Deo loquens;[c] In ipso, inquit, viuimus, & mouemur, & sumus; significans nihil in nobis esse, quod a Deo non sit, qui est origo, & fons omnium creatarum rerum; sine quo illæ nec quicquam esse, nec operari possunt. c Act.17.

Ad quem comparatus homo, qui perfectione excedit cætera cuncta corporea creata; cum perfectiori modo diuinam exprimat, & repręsentet essentiam; dicitur [d] a Iob; Folium, quod vento rapitur; innuente, eum nihil habere fir- d cap.13.

mitatis; aut in esse, aut in operationibus, nisi quatenus est a producente, conseruante, dirigente, ac ducente Deo cuncta in proprium finem.

a Psal. 38.

Quam ob causam dixit etiam Dauid,[a] Substantia mea tanquam nihilum ante te; cum illa absque Deo producente nihil sit, & absque eodem conseruante, eam in nihilum redigi necesse sit; & Deo non operante, nec minimum in se quidem motus, aut mutationis habere posśit.

b cap. 40.

Idquè totum clarè indicant verba [b] Isaiæ. Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo; & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ.

c Homil. 29. in Euang.

Quod si Homo, qui (vt interpretatur Sanctus [c] Gregorius) nomine omnis creaturæ intelligitur, cum habeat esse commune cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum Animalibus, intelligere cum Angelis, tanquam nihilum, & inane coram Deo reputatur;

d Psal. 18.

Quanta in Deo sit perfectio, cuius [d] Cæli enarrant gloriam, cuius opera annuntiat firmamentum; conijcere facilè poterimus; cum solus Deus [e] simpliciter, & absolutè dicatur esse, quia per essentiam existit: cætera verò omnia,

e S. Hier. in cap. 3. ad Ephes. & in ep. ad Damas. quo niam vetusto.

nia, quæ per participationem ſunt, & dependenter a Deo, tanquam nihilum reputentur.

S. Aug. li. 5. de Trinit. cap. 2. & 3. & lib. 7. Conf. c. 11. S. Bern. lib. 5. de conſid. ad Eugen. cap. 6.

Quod ſi verum eſt, vti eſt veriſsimum; neceſſe eſt, rerum omnium perfectiones in Deo tanquam in cauſa contineri.

Hoc idem etiam aſſerunt Patres: Sanctus [a] Dionyſius; Cuncta, inquit, continet Deus. Sanctus [b] Ambroſius in Hexameron; In ipſo conſtant omnia. Sanctus [c] Athan. Deus autem per ſe exiſtit, omniaq; in ſe continet, & a nullo continetur. Eadem pluribus in locis habet Sanctus [d] Auguſtinus. Et Sanctus [e] Bernardus dicit, conuenire Deo, vt ſit rebus omnibus, eſſe; cum ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſint omnia.

a de diu. nom. cap. 5. ſub finem.
b lib. 1. cap 4.
c ep. con. hæreſim Arianam.
d lib. 4. de Trinit. cap. 1. lib. 1. conf. cap. 2. & 3. Tract. 1. in Io. & alibi.
e lib. 5. de conſid. ad Eugen.

Illud autem, in quo, & ex quo, & per quod ſunt omnia; cum ſit origo, & fons totius eſſe: neceſſe eſt in ſe ipſo rerum omnium perfectiones contineat; atque ita illud idem perfectiſſimum ſit: qui cum ſit Deus; Deo conueniet rerum omnium in ſe perfectiones continere.

CAPVT QVARTVM

DE BONITATE DEI.



VM bonitas nihil aliud sit, quàm rei perfectio, vt dicit cõuenientiam, vel appetibilitatẽ proportionatam illi rei, cuius est perfectio; Deo non modo conuenit esse bonum, sed esse summum bonum.

Probatur: quia eo modo aliquid est bonum, quo modo est ens.

Sed Deus est ens per essentiam.

Ergo etiam per [a] essentiam conueniet illi esse bonum, & per consequens summum, & perfectissimum bonum.

[b] Quod enim primò, per se, & per essentiã alicui cõuenit, ei perfectissimo modo cõuenit.

Hinc deducitur, cætera omnia esse [c] bona dependenter a diuina bonitate. Nam eo modo res sunt bonæ, quo modo sunt: sed omnes res sunt per participationem, & dependenter a Deo: Ergo erunt etiam per participationem, & dependenter a Deo bonæ.

Qua-

a s. Damasc. lib. 2. orthod fid. c. 29. Boet. de consl. li. 3. pro. 10.

b s. Tho. p. p. q. 2. art. 3. q. 19. art. 4.

c s. Athana. de incarnatio. Verbi, & orat. con. Idola. s. Hiero. in cap. 3. ad Ephes. s. aug. lib. 8. de Trinit. cap. 3. de natura boni con. Manichæ. lib. 7. Confess. cap. 11.

Quare omnes res in tantum dicuntur bonæ, & appetibiles, quatenus bonitas illis communicatur a Deo, & habent relationem ad illam bonitatem diuinam, a qua non solum, quatenus producuntur, dependent in genere causæ efficientis, sed etiam (quatenus gratia illius summæ bonitatis sunt) dependent in genere causæ finalis: nihil enim esse potest bonum, quod non sit a Deo, & in Deum tanquam in finem non referatur: Et ideo quicquid non refertur in Deum tanquam in finem, rationem boni habere non potest.

Nam quod est bonũ per participationem, in tantum est bonum, in quantum refertur ad id, quod est per essentiã bonum, & illius gratia est; quia [a] primum in vnoquoque genere est causa cæterorum.

Quamobrem humanæ actiones, quæ contra Dei legem sunt, cum quatenus a diuina regula, ac lege deficiunt, nec sint a Deo, nec in Deum tanquam in finem referri possint; malæ sunt, & peccata; dictante ratione, ea deficere a ratione boni quę non referuntur in vltimum finem, qui solus est simpliciter, & absolutè bonus; iuxta illud; [b] Nemo bonus, nisi solus Deus; scilicet, per essentiam. Nam [c] alia, quæ sunt per participationem, in tantum sunt bona, in quantum sunt a Deo; & in Deum tanquam in finem, qui est optimus, referuntur.

Quæ

a Arist. 2 metaph. tex. 4.

b Matth. 19. Luc. 18.

c S. Athan de incarnat. Verbi, & orat. con. Idola. S. Hiero. in cap. 3. ad Ephes. S. Augu. de natura boni con. Manich.

Quæ igitur contra Dei legem sunt; cum ea ratione non possint in diuinam bonitatem tanquam in finem referri, sunt mala: quia non potest aliquid esse bonum per participationem, & non referri ad id, quod est bonum per essentiam.

At si interdum culpa, aut peccatum dicatur esse aut necessarium, aut felix:

Id non dicitur, quia illa actio, quæ est peccatum, & contra diuinam legem, sit, fuerit, vel possit esse in se bona, qua ratione est deficiens: sed ratione effectus, & beneficiorum, quæ Deus sua misericordia in Hominem contulit, ad subleuandum eum a miseria, in quam ob peccatum inciderat.

Ex his habes, cum Deus sit per essentiam bonus, eum sui maximè diffusiuum, & communicatiuum esse; dependenter enim ab eo, quod est per essentiam bonum, bona sunt quæcunque sunt per participationem bona; Ex illo vulgato principio a nobis sæpe repetito; [a] primum in vnoquoque genere, est causa cæterorum.

a Arist. 2. metaph. tex. 4.

Quamobrem cum Deus sit summa, ac infinita bonitas, quia est per essentiam bonus: sine vllo suæ bonitatis decremento, vel augmento, infinitis rebus se ipsum potest communicare: a quo quantumuis magna beneficia, vel in genus humanum, vel in cæteras crea-

creaturas conferantur; eius bonitatis, ac diuitiarum thesauri nulla in parte minuuntur, aut deficiunt.

Quare qui sunt illi charitate coniuncti, vellent omnes alios eidem coniungi; non timentes ex cæterorum amore sibi aut gratiam, aut gloriam minuendam; & omni alia re posthabita, vt alios Christo lucri faciant, nituntur: scientes quàm gratum sit Deo, se ipsum per gratiam in hac vita, & in futuro per gloriam communicare.

Quod a Deo petendum esse, & alibi sæpe scripturæ significant, & [b] Dauid suo ipsius exemplo admonet; vt in bonitate sua Deus ipse doceat nos legem seruare, custodire mandata, iustificationes facere, voluntatem exequi; vt prius per gratiam, deinde per gloriam diuinæ simus consortes naturæ. b psal. 118

Deus enim bonitate sua docet iustificationes, non tantum legis, & præceptorum doctrinam proponens; sed interius supernaturali lumine eleuat intellectum ad cognoscendum, quod debet fieri bonum, & inflammat voluntatem pijs affectionibus, & inspirationibus, inclinans eam ad detestandum malū, & amandum bonum; & exequendum, quod lege Dei præcipitur; quæ iustificationes dicuntur ex eo, quod iustos faciant, qui illas adimplent eo modo, quo oportet.

Quod

Quod beneficium præstans Deus viatori Homini, se illi per gratiam communicat, si interiori illuminatione illustratus Homo; & pijs affectionibus, seu internis inspirationibus non resistens, auxilijs gratiæ cooperetur; qui si in peccatis fuerit, iustificatur; & si iustus fuerit, iustificatur adhuc, magisq; fit diuinæ naturæ consors, ac particeps; quam cum perfectius & amet, & cognoscat; vellet etiam ab alijs omnibus cognosci, & diligi; nihil sibi ex aliorum consortio de infinitæ diuinæ bonitatis participatione minui posse cognoscens.

Dei autem perfectio, ac virtus, cum nullis claudatur terminis; nihil est, cui non possit communicare esse, absque vllo diuitiarum bonitatis suæ detrimento; quod summæ, infinitæ, ac indeficientis bonitatis est signum.

Quod si nomine boni intelligamus rectũ, & iustum; Cum Deus sit rectitudo ipsa, nec possit a se ipso deficere; sicuti per essentiam existit; ita rectus, ac iustus est.

Secundum quem sensum etiam dicitur
a Psal.72. a Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde!

Nam impij quidam non cognoscentes diuinam bonitatem, prauis affectibus, ac peruersis cogitationibus, eò dementiæ peruenerunt, vt malorum causam, & peccatorum

dicant

dicant Deum; auctorem illum peccati facientes; & eodem modo malorum, quemadmodum bonorum causam esse dicentes: quod repugnat diuinæ bonitati, veritati, misericordiæ, & iustitiæ; quæ ita Deo conueniunt, vt non solum Deus dicatur [a] verus, [b] bonus, [c] rectus [d] misericors, & [e] iustus; sed etiam ita bonus, verus, & iustus, vt dicatur bonitas, [f] veritas, [g] & iustitia, &c.

a 1.Thessal. 1.
b Matth. 19.
c Psal 91.
d Exod. 34.
e 2.Machab. 1.
f Ioan. 14.
g s. Leo Ep. Decr. 93. cap. 5.

Et sicut repugnat, rectitudinem esse obliquam; ita repugnat bonitati malum, veritati mendacium, & iustitiæ iniquitas.

Sed horum Hæreticorum dementia, qui facientes Deum malorum auctorem, Deum etiam [h] negant, dum eius essentiam, quę est iustitia, bonitas, veritas, & misericordia, cum iniquitate, malitia, mendacio, impietate sociantes, destruunt; iure damnatur a Patribus Concilij [i] Tridentini.

h s. Greg. Nazian. orat. 4. de Theolo. quæ est 36.

i sess. 6. can. 6.

Et rationi naturali repugnat, vt patet ex ijs, quæ dicta sunt.

[l] Scripturis quoque repugnat; ac destruit communem conceptum, quem omnes Homines, tam docti, quàm indocti de diuina bonitate formant.

l Exod. 23. psal 5 44. & 54.

Cerdon. & Marcion. hæresis reijcitur.

Ex his etiam, quæ dicta sunt, reijciuntur, Cerdo, [q] qui ex Epiphanio [m], & Augustino [n], duo posuit prima principia; vnum bonum, alterum malum. Quem [q] subinde secutus est

q Baron. ad Annũ 146.
m hæres. 41. cõ. cerdonian.
n de hæres. c. 21.
o Epip. hęres. 42. con. Marcionist. s. Augu. cap. 22. de hęresib.

H [o] Mar-

Marcion, Et Manichæi, cum eorum Auctore Manete, qui hanc eandem hæresim ab inferis postea [b] excitauit.

a Manichæ. hęres. reijcitur.
b Epiph. hęres. 66. con. Manichæ. s. Augu. cap. 46. de hęresib. Baron. ad an. 277.

Est enim contra rationem primi principij per essentiam existentis, aliquam in se admittere imperfectionem; vt patet ex dictis: quod cum sit per [c] essentiam bonum, & rerum omnium perfectiones in se contineat, ex diametro defectui, malitiæ, ac peccato opponitur.

Et sicut multitudinem Deorum non admittit [d] simplicissima, indiuisa, & maximè vna diuina essentia, in cuius essentiali conceptu ponitur existentia, quam grauissimi viri in omnibus rebus dicunt esse principium, quo, vnitatis numericæ; ità ei repugnat peccatum, & iniquitas.

c s. Atha. de incarnat Verbi. s. Epiph. lib. 2. con. hęres. hęres. 69. s. Ambros. li. 1. de fid. ca. 2. & lib. 2. de fid. cap. 1. s. Bern. serm. 1. super Salue Regina.
d Conc. Later. sub Innoc. iij. cap. firmiter, & cap. damnamus de summ. Trin. & Fid. cath.

Quamobrem, quod primum principium auctorem mali ponebant, [e] Deus non erit.

e s. Athan. in orat. con. Idola.

Quia non potest dari quicquam per essentiam existens, quod non sit, & summè bonum, & summè perfectum.

Excogitatum igitur primum illud malorũ principium, (quod horret animus appellare Deum), cum non per essentiam existat, sed fictione tantum insipientium, ac stultorum Hominum; necesse est euanescentibus, ac deficientibus horum Hominum cogitationibus euanescere, atque deficere.

Repugnat enim diuinæ bonitati, rectitudini,

ni, veritati, atque iustitiæ; si malorum Deus ponatur auctor: cum auferat id, quod per essentiam existit. Quod nec etiam stultus ausus est voce proferre, sed [a] dixit insipiens in corde suo; non est Deus.

[a] Psal. 52.

Idem docet Sanctus [b] Basilius. Stultus, inquit, & verè a sensu alienus est, qui dixerit; non est Deus. similis item huic est, nec quicquam in stultitia differt, qui Deum malorum esse causam dicit, parq. priori scelus existimauerit: quoniam ambo bonum Deum similiter negant. Alter quidem non esse omnino dicit: alter verò non bonum esse affirmat. Si enim est malorum causa, non bonus est. Si non bonus, neque Deus: itaque vtrobique est negatio Dei.

[b] Homil. quod Deus non est auctor peccati.

Quod præterea confirmant ea scripturæ loca, quibus docemur, Deo peccatum, & iniquitatem displicere ita, vt & peccatoribus maledicat Deus, eosq. puniat, nisi de peccatis pœnitentiam egerint.

Non enim esset iustus Iudex, qui vindictam sumeret de peccatis, quorum ipse esset auctor.

Inter multa autem scripturæ loca, sunt illa.

[c] Mendacium fugies, iustum non occides; quia auersor impium.

[c] Exod. 23.

[d] Similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius.

[d] Sapient. 14.

[e] Deus enim illorum odit iniquitatem.

[e] Iudith. 5.

 Abo-

a Prou. 15. [a] Abominatio est Domino via impij.

b Psal. 5. [b] Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos: odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

c Psal. 44. [c] Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.

d Psal. 54. [d] Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.

e Ad corinth 6. [e] An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, &c. Regnum Dei possidebunt.

Ex quibus omnibus manifestè deducitur, Deo, qui est summè bonus, rectus atque iustus, aduersari omne malum, omnem iniustitiam, peccatum, & iniquitatem, & malorum, sicut & bonorum, esse causam: cum ex eo, quod sit per essentiam existens, conueniat illi, non solum esse bonum, sed etiam esse [f] causam, fontem, atque auctorem, ex quo, in quo, & cuius gratia bona sunt, quæcunque rationem boni participant; qualis est tota collectio rerum existentium, vel quæ existere possunt; quæ nullo certo numero clauditur.

f S. Atha. de incarnat Verbi. S. Ambros. lib. 2. de fid. cap. 1.

CAPVT

CAPVT QVINTVM DE INFINITATE DEI.



X ijs, quæ diximus de simplicitate Dei, constat, Deum non posse dici infinitum magnitudine Molis, quam dicimus quantitatem: cum repugnet existenti per essentiam habere aliquas partes, ex quibus sit. Qua in re;

QVAERITVR.

AN DEVS SIT INFINITVS PERFECTIONE, ET VIRTVTE.



ESPONDETVR; Deum esse infinitum virtute, & perfectione.

Conclusio hæc est certa de Fide in Concilio Lateranēsi sub Innocentio III. de summa Trinitate, & Fide Catholica. cap. firmiter.

Quod

a Prou. 15. [a] Abominatio est Domino via impij.

b Psal. 5. [b] Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos: odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

c Psal. 44. [c] Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.

d Psal. 54. [d] Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.

e Ad corinth 6. [e] An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, &c. Regnum Dei possidebunt.

Ex quibus omnibus manifestè deducitur, Deo, qui est summè bonus, rectus atque iustus, aduersari omne malum, omnem iniustitiam, peccatum, & iniquitatem, & malorum, sicut & bonorum, esse causam: cum ex eo, quod sit per essentiam existens, conueniat illi, non solum esse bonum, sed etiam esse [f] causam, fontem, atque auctorem, ex quo, in quo, & cuius gratia bona sunt, quæcunque rationem boni participant; qualis est tota collectio rerum existentium, vel quæ existere possunt; quæ nullo certo numero clauditur.

f S. Atha. de incarnat Verbi. S. Ambros. lib. 2. de fid. cap. 1.

CAPVT

CAPVT QVINTVM DE INFINITATE DEI.



X ijs, quæ diximus de ſimplicitate Dei, conſtat, Deum non poſſe dici infinitum magnitudine Molis, quam dicimus quantitatem: cum repugnet exiſtenti per eſſentiam habere aliquas partes, ex quibus ſit. Qua in re

---

QVAERITVR.

AN DEVS SIT INFINITVS PERFECTIONE, ET VIRTVTE.



ESPONDETVR; Deum eſſe infinitum virtute, & perfectione.

Concluſio hæc eſt certa de Fide in Concilio Lateranẽſi sub Innocentio III. de ſumma Trinitate, & Fide Catholica. cap. firmiter.

Quod

Quod Fidei dogma desumitur ex scripturis, quæ ita de Deo loquuntur, vt magnitudini eius, ac virtuti nullum præfigant terminum. Habemus enim; [a] magnitudinis eius non est
a psal.144.
finis, [b] magnus est, & finem non habet. In
b Baruch.3.
[c] ipso sunt omnia.
c Rom. 11.

Quod etiam ratione probari potest. Nam, quod in se actu continet perfectionem maiorem, quàm contineant potentia res omnes possibiles, quæ sunt infinitæ in potentia; necesse est, ipsum actu infinitum esse perfectione. Et, si possit illa omnia efficere, sicut Deus; erit infinitæ virtutis, & potentiæ.

Ergo Deus est infinitæ perfectionis, & virtutis, cum maiorem ipse solus actu contineat perfectionem, quàm res omnes possibiles potentia. Et cum illas omnes possit efficere, erit infinitæ virtutis.

Quod enim per essentiam est, & existit, cum sit rerum omnium prima causa efficiens, exemplar, & finis; necesse est, vt contineat in se actu maiorem perfectionem, quàm possint habere res omnes, quæ per participationem sunt; cum illas eminenter contineat. Et necesse est, omnia, quæ sunt per participationem, fieri ab eo, quod est per essentiam; in quo, & per quem sunt omnia.

Quod si res, quæ fieri possunt, nullo certo numero, aut gradu essentialis perfectionis

clau-

clauduntur; necesse est, quod per essentiam existit, (quod soli Deo conuenit) perfectione, & virtute esse infinitum.

Res autem, quæ fieri possunt, nullo certo numero, aut gradu perfectionis essentialis claudi; ex eo constat; quia nullus est tam magnus numerus rerum creatarum, quin possit esse maior. Nec vlla res per participationem existens dari potest, quæ sit tantæ perfectionis essentialis, qua non possit alia maioris esse perfectionis essentialis. Nam qualibet creatura data, cum per participationem sit; perfectione infinito excessu superatur ab eo, quod est per essentiam. Atque ita nulla res creata dari poterit, quæ sit tantæ perfectionis essentialis, qua non possit esse alia maior; cum adhuc essentia diuina semper possit perfectiori modo participari, quàm sit participata.

Ex quo intelligitur etiam illud, quod dicitur; tantò aliquid esse perfectius, & alio melius, quātò magis accedit ad perfectissimum, & optimum, quod est primum, causa, & mensura cæterorum. Ex eo enim magis, aut minus perfectum aliquid per participationem existens dicitur esse, quod magis, aut minus accedat ad illud, quod est per essentiam, quod est primum, & causa cæterorum.

Cum igitur in tota entis latitudine Deus,

qui

qui per essentiam existit, sit primum, & causa cæterorum, quæ per participationem sunt, & nullo certo numero, aut gradu perfectionis continentur; ipse erit infinitæ perfectionis, atque virtutis.

Neque obstat, si dicas. Ergo Deus debet actu cõtinere etiam infinitam multitudinem, & numerum perfectionum, æquiualentem, vel correspondentem infinitis numero rebus, vel speciebus rerum, quas potest producere, Non enim causa debet continere effectum actu in se ipsa cum omni imperfectione, & distinctione, quæ est in effectis, vt patet in omnibus causis, quæ sunt aptæ producere, vel producunt plusquam vnum effectum. Sed sufficit, si vnica simplici entitate cõtineat tantam perfectionem, vel maiorem; quantam, vel maiorem non est reperire in vllo effectu.

Sic igitur, & potiori ratione, in Deo non est necessariũ multiplicare perfectiones iuxta multiplicitatem, & infinitatem rerum, quas potest efficere: Sed sat est, eum vnica sui simplici, indiuisibili, ac maximè vna entitate virtualiter, & eminenter continere quicquid perfectionis est dispersum, aut distinctum in rebus, quæ ab ipso aut sunt, aut esse possunt. Eo autem ipso, quod Deus sit per essentiam, & cætera omnia per participationem, satis

emi-

eminenter, & virtute continet excellentissimo, ac perfectissimo modo, quicquid est in rebus creatis, quæ tantum sunt, aut esse possunt per participationem, & dependenter ab eo, quod est per essentiam.

Et quemadmodum omnes rectæ lineæ e centro ad circumferentiam ductæ in centro vniuntur; sic omnes res a Deo productæ, in ipso Deo, qui est [a] principium, & causa omnium rerum, & vltimus finis, maximè vniuntur.

a S. Dion. cap. 5. de diu. nom.

Quare reperti sunt, qui existimarint, omnia esse vnum, & immobile, vt Parmenides, & Melissus. Qui si dixerint in se ipsis omnia esse vnum, & immobile: rectè illos impugnat Philosophus [b]: & experientia reclamante conuincuntur. At si in causa, & in primo principio, & vltimo fine, qui est Deus per essentiam existens, vnum, & immobile dixerint omnia; Et rem veritati consonã dixerunt; Et ita illos sensisse, probari potest ex eodem Philosopho, a quo redarguunrur. [c] Omnes igitur, inquit, principia contraria faciunt, etiam qui dicunt, vnum, & immobile esse omnia.

b Lib. 1. phys.

c Lib. 1. phys. tex. 41.

Repugnat enim contraria esse principia, & vnum, si in se ipsis considerentur. Ergo necesse est ipsos dixisse, omnia esse vnum, quia omnia sunt ab vno Deo per essentiam existente, tanquam a primo principio, & vniuersa-

lissima omnium causa, quæ actu (sed eminenter, & virtualiter) contineat quicquid perfectionis est, aut esse potest in rebus creatis; quæ cum sint & numero, & essentiali perfectione non tot, quin plures; Sequitur, virtute, ac perfectione diuinam essentiam esse actu infinitam, quæ sua simplicissima, ac maximè vna entitate, infinito excessu superat omnium rerum existentium, aut etiam possibilium perfectionem; cui si comparentur res omnes creatæ, nec etiam eam habent proportionem, quam tenuissima bulla ad immẽsitatem Oceani.

Quod cognosci potest ex multis scripturæ locis. Dicit enim Isaias.[a] Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt.

a cap. 40.

Et Dauid [b]. Substantia mea tanquam nihilum ante te.

b Psal. 38.

Cui veritati congruunt, quæ docent communiter Patres; præcipuè verò

Sanctus Dionysius [c]; Effecta, inquit, a caussis distant, infinitisque, ac non comparandis mensuris ab illis vincuntur.

c de diu. nom. c. 9.

S. Damascenus;[d] supra omnia, quæ sunt, ipse est, atque adeo supra ipsum esse. Infinitus igitur est Deus, &c.

d de fid. othod. li. 1. cap. 4.

S. Hila-

S. Hilarius [a] : Non finibus, aut ſpatijs Diuinæ virtutis immenſitas coarctatur. a Enarrat. in pſal. 118.

S. Gregorius Nazianzenus [b]. Deus tantus eſt, quantus dici non poteſt: quia Cęlum manu ſua cooperuit, pugno omnem Mundi ambitum concludit. b Orat. 49. de fide:

S. Auguſtinus [c]: Quantum intereſt inter eum, qui fecit, & illud, quod factum eſt, quis dignè cogitet? c Enarrat. in pſal. 85. tom. 9.

Et ad Petrum Diaconum idem Sanctus [d]. Nec aliqua molis quantitate terminatur Deus, quia nullo fine concluditur. d De fide cap. 3.



I 2 CAPVT

CAPVT SEXTVM

DE EXISTENTIA DEI IN REBVS.


RAECEDENTI capite explicatum eſt, quomodo neceſſe ſit, Deum per eſſentiam exiſtentem infinitę virtutis eſſe, ac perfectionis. Nunc agendum eſt de modo exiſtendi Dei in rebus, quo immenſitate ſua omnia replet, virtute continet, ſcientia comprehendit; quem triplicem exiſtēdi modum Dei in rebus, vocant Theologi per eſſentiam, quia eſſentia Dei eſt intimè præſēs omnibus rebus: per potentiam, ſeu virtutem; quia dat rebus omnibus eſſe: & per præſentiam; quia [a] omnia nuda ſunt, & aperta oculis Dei. Qui triplex, & vniuerſalis exiſtendi modus Dei in omnibus rebus, notior fiet ſequentibus quæſitis.

a Hebr. 4.

QVAE-

QVÆRITVR PRIMO.

VTRVM, ET QVO MODO SVBSTANTIA DEI SIT PRAESENS OMNIBVS REBVS.



RESPONDETVR,[a] substantiam Dei esse intimè presentem omnibus rebus. Probatur. Quia [b] existenti per essentiam, & actui puro repugnat omnis mutatio, & id, vnde sequitur posse moueri. Nam, quod potest moueri, habet potentiam recipiendi saltem ipsum motum, per quem motum acquirit mobile terminum, ad quem erat in potentia: siue ille terminus sit extrinsecus, vt contingit in motu locali: siue intrinsecus mobili, vt contingit in omnibus motibus, & mutationibus, excepto locali motu; qui etiã si non inducat terminũ in subiecto intrinsecè existentem (vt calefactio, verbi gratia, quæ introducit calorem); tamen ipse motus localis, quem etiam lationem appellant, (cum sit intimè inhærens ipsi mobili) repugnat actui puro, in quo nulla debet esse potentia ad aliquid recipiendum; quando enim aliquid intrinsecè in aliquo subiecto de nouo recipitur; id ei antea deerat: nihil autem deesse potest

a S. Aug. lib. 1. Cõfess. c. 3. De cognitione veræ vitæ. tract. 5. cap. 24. De fide ad petrũ Diaconum c. 3. tract. 3 in Ioa. cap. 18. s. Greg. hom. 17 in Ezechiel.

b s. Augu. lib 5. de Trinit. cap. 2.

actui

actui puro per essentiã existenti: aliter, quod perfectissimum est, & cui nihil deest, aliqua perfectione carere poneretur; quod implicat in terminis.

Quod ergo mouetur, vel aptum est moueri quocunque motu, non est actus purus: nam habet aliquam passiuam, seu receptiuã potentiam, quam alij subiectiuam appellant.

At, si Deus non esset intimè præsens omnibus rebus, esset in potentia, vt moueretur ad illas res, quibus non esset intimè præsens.

Ergo substantia Dei est intimè præsens omnibus rebus.

Quod etiam scripturis maximè congruit. a Cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus. b Cælum sedes mea; terra autem scabellum pedum meorum. c Plena est omnis terra gloria eius. d Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. e Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. f Non longè est ab vnoquoque nostrum; in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.

a Hierem. 23.
b Isa. 66.
c & cap. 6.
d Sap. 10.
e psal. 138.
f Act. 17.

Et iuxta harum scripturarum doctrinam est vnanimis Patrum sensus:

Sanctus enim Hilarius g asserit. Nullus sine Deo, neque vllus non in Deo locus est.

Sanctus Ambrosius h; Domini esse dicit, omnia complere.

g de Trinit. lib. 1.
h lib. 7. de spiritu sancto cap 7.

San-

Sanctus Hieronymus [a]; Quomodo, ait, paruo claudetur loco, qui omnia complet, & in quo sunt omnia? — a In Isa. cap 66.

Sanctus Augustinus de Ciuitate Dei [b]. Deus vbique totus, implens cælum, & terram, præsente potentia, non absente natura. — b lib. 7. cap. 30.

Et in epistola ad Dardanum [c]; Deus est vbique præsens, & vbique totus: Et de cognitione veræ vitæ [d]. Vbi autem Deus non est, ibi nihil est. — c epist. 57. — d Tract 5. cap. 24.

Sanctus Gregorius in Moralibus [e]. Quò exitur ab eo, qui vbique est? Qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? — e lib. 2. cap. 8.

Et in Ezechielem [f]. Qui vbique est, & vbique totus est. — f hom. 17.

Sanctus Bernardus de consideratione ad Eugenium [g]. Sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. — g lib. 5. cap. 6.

Non est autem hæc Dei præsentia otiosa: nam Deus ita est intimè præsens omnibus rebus, vt, dum primò accipiunt esse, illas producat, &, dum permanent, ac durant in esse, illas conseruet.

Quare benefico illapsu in omnes res illabitur; quia ita est intimè præsens omnibus rebus, vt det illis esse, & operari.

Et ob id Apostolus de Deo loquens, (referente Luca [h],) Non longè est, inquit, ab — h Act. 17.

vnoquo-

vnoquoque nostrum; in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus; vt omne nostrum esse, & operationem a Deo esse intelligeremus.

Et ex hac præsentia substantiæ, & essentiæ Dei; qua ita est præsens omnibus rebus, vt det illis esse; sequitur, Deum esse vbique per potentiam: Nam, cuius potestati, & imperio omnia subduntur; & cuius nutui omnia obediunt, is est vbique per potentiam. Sed Dei potestati, & imperio omnia subduntur, & eius nutui omnia obediunt; cum nec esse, nec operari quicquam possint, nisi regente, ac volente Deo; cui ita omnia obediunt, vt [a] vocet ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, & [b] portet omnia verbo virtutis suæ: Qui cælũ, & terram, & omnia, quæ cæli, & terræ ambitu continentur, verbo condidit. [c] Dixit enim, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

a Rom. 4.

b ad Hebr. 1.

c psal. 148.

Ergo Deus est vbique per potentiam.

Ex his vides, quomodo etiam aptissimè dicatur Deus esse vbique per potentiam, quia omnibus rebus dat esse. Sed iste modus videtur coincidere cum primo illo modo, quo Deus per sui substantiam immediatè dicitur ita coexistere rebus omnibus, vt det illis esse. Nam per illum modum, non solum substantia Dei dicitur esse præsens, & coexistere, ac indistans esse ab intimo esse cuiusque rei; sed

etiam

etiam illud producere, dum primo incipit; aut conseruare, postquam iam productum est: & ita re vera est.

Et ideo, cum potentia in Deo sit idem cum essentia; & Deus immediatè per sui substantiam, & essentiam agat tanquam principium primum, proximum, & immediatum, cuius essentia, & virtus idem sunt; modus existendi per essentiam, & modus existendi per potentiam, sic explicati, coincidere dici possunt. [a]Dicitur enim Deus esse vbique per essentiam, quia essentia Dei ita coexistit omnibus rebus, vt det illis esse, & communicet quamcunque perfectionem, siue substantialē, siue accidentalem habeant; quod est dependere ab essentia Dei, quatenus est vis, ac producendi facultas. a s. Tho. p. p. qu. 8. art. 3.

Ex quo vlterius sequitur, Deum esse vbique per præsentiam:

Nam ille est in omnibus rebus per præsentiam, qui omnia cognoscit, & intuetur.

Quod autem ita est præsens omnibus rebus, vt perfectißimo modo det illis esse, debet illas cognoscere, & in finem dirigere; quod Deo maximè conuenit. Id vero non contingeret, si non [a] omnia ei nuda, & aperta essent: Nec posset [b] attingere a fine vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter Deus, si non omnia cognosceret. a ad Hebr. 4. b Sap. 8.

Ergo debet omnia cognoscere, & per con-

sequens vbique per præsentiam esse.

Rectè igitur Theologi dicunt, Deum vbique esse per essentiam, præsentiam, & potentiam.

Ex his facilè cognosci potest, quàm longè a veritate rationi consona, scripturarum, ac Patrum auctoritate comprobata recesserint, qui dixerunt, substantiam, & essentiam Dei soli cælo indistantem, ac præsentem esse.

Qua enim ratione dici posset Deus cælum, & terram implere ita, vt sit omnino immobilis, dans esse rebus omnibus perfectißimo modo; si non esset vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam?

Neque obstat, quod sedes Dei cælum dicatur, aut habitare in cælis Deus, & ibi sedes eius esse.

Quia maiestate, & gloria in cælo est, se ipsum cælestibus spiritibus, atque animabus beatis in gloria sua manifestans: non autem, quia non sit intimè præsens omnibus rebus, cælũ, & terram implens, res omnes continendo, & perficiendo; dans illis esse perfectißimo modo: quod non contingeret, si non vbique Deus esset per essentiam, præsentiam. & potentiam. modo supra explicato.

QVAE-

QVAERITVR. II.
AN HAEC RERVM VNIVERSITAS SIT ADAEQVATVS LOCVS DEI.



VAERIMVS hic; An Deus ita huic rerum vniuersitati coexistat, & sit præsens, vt nulli alteri loco vel actu coexistat, vel coexistere sit aptus. Cui Quæsito.

Respondetur. Deus non adæquatè coexistit huic rerum vniuersitati, quam continet, illi coexistens, & dans esse.

Probatur. Quia Deus certo aliquo loco definiretur, circumscriberetur, vel comprehenderetur; quod diuinæ repugnat immensitati: ob quam de Deo dicitur; [a] Cælum, & cæli cælorum non te capiunt. [b] Cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt.

a 3.Reg.8. & 2.paral.6.
b 1.paralip.2.

Quod si quis obijciat: Ergo Deus coexistit etiam de facto nunc infinitis, & interminatis spatijs imaginarijs, quæ extra cælum existere concipiuntur; secus, adæquatè huic rerum vniuersitati coexisteret: nam neque excederet, neque excederetur ab hac rerum vniuersitate tota simul sumpta: quia esset totus Deus ita coexistens, & totus singulis rebus, & singulis

omnium rerum partibus, & toti vniuersitati rerum, vt non coexisteret alteri rei; quod est adæquatè coexistere. Quod enim non excedit, neque exceditur ab aliquo loco, est illi adæquatè coexistens.

Respondetur, non sequi: Deus coexistit tantum huic rerum vniuersitati; Ergo hæc rerum vniuersitas est locus adæquatus Dei. Id enim verum esset; si ita actu coexisteret substantia Dei omnibus rebus creatis, vt non esset apta coexistere alijs rebus. Sed substantia, & essentia Dei se ipsa immediatè est apta tota coexistere finitis in infinitum spatijs, & rebus, si illa spatia, vel res darentur.

Quinimo hoc ita verum est, vt non sit necessarium, Deum coexistere alicui rei; vt dicatur immensus. Nam sufficit, quod sit aptus coexistere, & actu habeat in se ipso totum id; per quod est aptus coexistere non tam magno spatio, quin sit aptus maiori coexistere sine vlla sui mutatione. Antequam enim fieret mundus, non simul existebat Deus cum mũdo, qui non existebat: & tamen erat verè immensus: quia habebat propriam essentiam, per quam erat aptus coexistere toti huic mundo, & totus singulis eius partibus ita, vt infinitis alijs esset eodem modo aptus coexistere.

Neque ob id diceretur intimè mutari Deus, si inciperet de nouo coexistere alij vniuersitati rerum. Nam nihil de nouo in se reciperet, per

quod

quod actu existeret in alio mundo; sed ibi esset per sui essentiam, & substantiam, quam semper inuariatam, & immutabilem in se habuit; cum in eius conceptu includatur existere.

Sicut antequam fieret mundus, Deus habebat suam substantiam, & essentiam, per quam non solum erat aptus producere omnia, sed etiam aptus coexistere quibuscunque rebus creatis, aut aptis creari: Et quemadmodum ex eo, quod produxerit cælum, & terram, & quęcunque cæli, & terræ ambitu continentur, non est mutatus Deus: sic non est mutatus ex eo, quod cœperit illis coexistere, cum antea non coextitisset.

Et sicut agendo, Deus nihil intrinsecè de nouo recipit, sed dat esse rebus: ita ex eo, quod sit præsens rebus, nihil intrinsecum de nouo accipit; sed coexistens rebus omnibus, illas perficit, & perficiendo dicitur illas continere.

Quare non quælibet realis denominatio, qua incipiat Deus denominari in tempore, ponit realem, atque intrinsecam mutationem in Deo. Ex eo enim, quod dicatur creator in tempore, cum non diceretur ab æterno, sufficit factam esse mutationem in creatura; quæ sine dubio negari non potest: nam transiuit de non esse ad esse in tempore per creationem.

Neque, quando aliqua duo inter se diuersimodè

modè comparantur, necesse est fieri mutationem in vtroque extremorum; sed sufficit fieri in altero: verbi gratia, duo parietes, vnus albus, & alter niger, dicuntur fieri similes; si vnus, scilicet, qui erat niger, dealbetur; vel, qui erat albus, denigretur.

Arist. Et hæc doctrina, quæ manifesta experientia constat, est Philosophi libr. 8. phys. tex. 9.

Sic etiam, ad hoc, vt Deus dicatur immensus; non est necessarium, vt actu coexistat infinito spatio, si non datur istud infinitum spatium: sed sufficit, quod habeat in se ipso actu totum id, quo est aptus coexistere infinito, vel infinitis etiam spatijs, si essent.

Vnde, quamuis non sit de facto in spatijs imaginarijs extra cælum; potest dici de eo.

a 3. Reg. 8. [a] Cæli cælorum non te capiunt.

b Iob 11. [b] Excelsior cælo est, & profundior inferno.

Hoc enim est satis, ad hoc, vt Deus dicatur immensus, & nullo circumscribatur loco; si, scilicet, habeat in se ipso actu totum id, quo est aptus coexistere non tam magno spatio, quin maiori.

Et ideo, etiam si aliqua creatura daretur, quę nunc coexisteret toti spatio, cui coexistit Deus; adhuc non diceretur immensa, quia esset illo spatio circunscripta, & definita.

Sunt etiam alij modi, quibus Deus dicitur esse in rebus; vt in iustis per gratiam; in Beatis

per

per visionem; & in Homine, qui est Christus, per vnionem hypostaticam: in Cælo autem maiestate, & gloria:

Sed, vt patet, hi non sunt vniuersales modi existendi in rebus, sicut tres illi priores, per essentiam, præsentiam, & potentiam.

QVAERITVR III.

AN EX OPERATIONE RECTE COLLIGATVR, DEVM DEBERE ESSE INTIME PRAESENTEM OMNIBVS REBVS.

RESPONDEO, dicendum primò; ex eo, quod Deus, vt prima causa, det esse omnibus rebus, illas vel producendo, dũ primò accipiunt esse, vel conseruando, postquam iam productæ sunt, & permanent in esse; deduci, primæ causæ debere conuenire per essentiam existere; & per consequẽs eam debere esse in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam: vt patet ex dictis in præcedentibus quæsitis.

Dicendum secũdò. Ex operatione, qua Deus dat primò esse omnibus rebus, illas producendo;

do; vel postquam iam productæ sunt, illas conseruando, rectè colligitur, Deum ita esse intimè præsentem omnibus rebus, vt illas continendo perficiat.

Probatur. Quia Deus non potest continendo perficere res, quibus est intimè præsens, vel tanquam pars, vel tanquam accidens illarum: cum id repugnet actui puro per essentiam existenti.

Ergo, si illas continendo perficit; in tantum continet, & perficit, in quantum dat illis esse per operationem, qua vel producit, vel conseruat res in esse, tanquam prima causa: quæ cum per intellectum agat, habet etiam exemplar, & ideam rei, cui, vel producendo, vel conseruando, dat esse. Quæ cum nihil casu, temerè, aut præposterè agat; necesse est, vt agat propter finem, qui sit vltimus, & optimus, idest propter se ipsum.

Ex operatione igitur, qua Deus dat rebus omnibus esse, rectè colligitur; Deum ita esse intimè præsentem rebus omnibus, vt illas per operationem continendo perficiat: hac enim ratione dat illis esse gratia optimi, & vltimi finis: qui cum sit per essentiam[a] bonus; non potest esse alterius gratia bonus: & per consequens nec ad aliud tanquam in finem referri.

a S. Damasc lib. 2. orthod fid. cap. 26 S. Aug. de nat. boni con. Manich.

Rectè igitur ex operatione colligitur, Deum vbique esse; ex eo, quod operando det rebus om-

omnibus esse; vel illas producẽdo, dum primò incipiunt esse; vel conseruando, postquam productæ sunt.

Et operationem existimo rationem formalem, qua ita Deus est præsens omnibus rebus, vt illas continendo perficiat. Nam nuda coexistentia, & præsentia, qua Deus tantum est a rebus indistans, non facit Deum actu, & formaliter continentem & perficientem omnia.

Ergo per operationem formaliter intelligitur habere rationem continentis, & perficientis actu omnia. Non enim potest Deus a loco contineri. Ergo si est in loco, illum continet, & perficit. Ad hoc enim, vt aliquid sit in alio tanquam in loco; debet aut ab illo contineri, aut illud continere.

Ex his intelligitur, quod docet Sanct. Thomas;[a] quomodo, scilicet; substantiæ spirituales sint in loco per operationem: quia nempe non concipiuntur habere relationem continentis, aut contenti ad locũ; nisi aut continendo perficiant locum, aut ab illo perficiantur, & contineantur.

a p.p.q. 52. art. 1.

At non possunt a loco perfici, aut contineri res spirituales; cum non posit res corporea quicquam immediatè agendo producere in rem omnino incorpoream, seu spiritualem; aut illius esse forma.

Quamobrem Philosophus[b], ex eo, quod intelli-

b Lib. 3. de Anima.

telligere sit quoddam pati; cum anima sit a corpore separabilis, & per consequens spiritualis substantia; docet, in anima intellectiua debere dari intellectum agentem, qui producat species in intellectum possibilem, a quibus determinatus intellectus posibilis, aptus sit in se ipso producere intellectionem, quam recipiendo, & producendo, sit formaliter intelligens.

Ergo, vt substantiæ spirituales habeant relationem continentis, necesse est, vt locum continendo perficiant, quod ab operatione est.

Non enim intelligi potest, quo modo spiritualis substantia formaliter afficiendo locum, illum contineat; cum non sit forma intrinsecè locum afficiens. Quia si esset forma intrinsecè afficiens locum; locus esset animatus, & intellectiua substantia; quod nemo vnquam dixit.

Et vlterius: Si substantia spiritualis esset actus intimè afficiens locum, nõ esset in corpore tanquam in loco; quia locus, & locatum, ex Philosopho, [b] debent posse ab inuicem separari, vtriusque integra manente substantia; vt etiam experientia constat.

b 4. phys.

Verũ actus substantialis intrinsecè afficiens aliquam rem, cum sit substantia, & quod quid erat esse rei; non potest a re separari, cuius est intima forma, integro remanente toto, quod

per

per illam formam constituitur.

Et (quod magis adhuc absurdum est); Si substantia spiritualis esset intrinsecè afficiens locum; quando substantia spiritualis recederet ab vno loco, & accederet ad alium, generaretur vna substantia intellectus particeps; & eiusdem rationis alia destrueretur: & vna spiritualis substantia vnius horæ spatio, vel minori, si moueretur continuè ab vno loco ad alium locum; constitueret infinita propemodum concreta substantialia: quod (nulla necessitate vrgente) nouum, inauditum, & ab omnibus meritò irridendum assereretur.

Alios verò modos, quibus vnum in alio esse dici potest, non posse conuenire substantijs spiritualibus, si comparentur corporibus, cum satis per se constet; nec numerauimus, nec reiecimus.

Sed de his alibi fusius, cum de loco Angelorum agetur.



CAPVT SEPTIMVM DE IMMVTABILITATE DEI.



X dictis patet, esse contra naturam actus puri, & eius, cuius essentia est existere, vel esse; aliquam in se habere mutationem, aut potentiam recipiendi intrinsecè, vel in se, quod antea non haberet. Eo enim ipso, quod aliquid est potens recipere aliquid de nouo; eo ipso non est perfectissimo modo in actu: Cuius autem essentia est existere; id est perfectissimo modo in actu: Ergo illi repugnat quilibet motus, vel mutatio: quæ destruit actum purum, cui omnis subiectiua repugnat potentia.

Quod autem mouetur, aptum est saltem recipere motum: & est in potentia ad terminum, qui per motum acquiritur.

Quare Deus de se ipso apud Malachiam [a] dixit. Ego Dominus, & non mutor.

a cap. 3.

In libro Numeri [b] habetur. Non est Deus, quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur.

b cap. 23.

In

In Psalmo.[a] Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. a Psalm.101.

Et in Epistola Catholica[b]. Apud quem nô est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. b Iac.cap.1.

Hoc verò ita intelligendum esse, colligitur ex magno Lateranensi Concilio sub Innocentio III.[c] c cap. firmiter. de summ. Trin.& fid. Cath.

Et idem afferunt etiam Sancti Patres: præsertim Augustinus[d], qui ex eo, quod Deus per Moysen dixerit, EGO SVM, qui sum; probat, non solum illi repugnare mutari, sed etiam posse mutari. d lib. 5. de Trinit. c.2.& lib.1.de natura boni cap.1.& 10. e Exod.3.

Et quemadmodum solus Deus est per essentiam existens; ita soli Deo conuenit absoluta, & perfecta immutabilitas; quam ex Apostolo[f], afferente solum Deum habere immortalitatem, colligit Sanctus Augustinus lib. 1.de Trinit.[f], & li.3. contra Maximinum:[g] quia solus Deus nec potest incipere, nec desinere esse; nec quicquam in Deo est, quod mutationi subiaceat: quod enim mutationi subiacet, non est per essentiã existens: quicquid autem in Deo est, cum sit Deus; necesse est per essentiam existere: Nihil ergo in Deo est, quod mutationi subiaceat. f 1.Timoth 6. g cap.1. h cap. 12.

Et solum Deum eodem modo semper se habere (quod perfectam significat immutabilitatem), habet apertissimis verbis

a lib. 1. cap. 9.

Sanctus Ambrosius[a] de Fide ad Gratianũ; Quomodo ergo Deus sit mutabilis, cum ipse dixerit: Ego sum, ego sum; & non sum mutatus?



CAPVT.

CAPVT OCTAVVM

DE DEI AETERNITATE.



SI vllum de Deo potest probari attributum, sicut omnia probantur ex eo, quod Deus sit suum esse, vel de essentia Dei sit existere; maximè, & euidenter probatur æternitas, quæ nihil est aliud, quàm existentia Dei, prout connotat negationem principij, & finis, & omnis mutationis, vel successionis.

Aeternitas enim est duratio, ac permanentia Dei in esse: sed duratio in omnibus rebus est existentia, quatenus connotat negationem inceptionis, & desitionis: Ex eo enim, quod res aliqua existat, & tunc non incipiat esse, vel desinat, dicitur durare. Nam quando res primò incipit existere, non dicitur durare, aut permanere in esse, sed produci: Et si desinat esse; non dicitur permanere in esse, sed destrui, vel interire; Ergo multò magis in Deo existentia erit eius duratio, quam rectè ex Boetio [a] definiunt Theologi;

[a] lib. 5 de consol. pros. 6.

Aeter-

Aeternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Cuius singulæ particulæ explicandæ sunt.

Dicitur ergo; Aeternitas est perfecta possessio; idest perfecta duratio, & permanentia in esse.

Tota simul; vt distinguatur æternitas a tempore; cuius partes necessariò sibi inuicem succedunt, & vna est prior, alia posterior.

Additur, Interminabilis vitæ; vt intelligatur illud, quod æternitate durat, viuere absque vllo principio, & fine; quod principium, vel finis non solum de facto non est in Deo, sed nec potest esse.

Quare, etiam si Dei voluntate ab æterno extitisset aliqua creatura; illi tamen non conueniret hæc definitio: nam quamuis de facto non haberet terminos; posset tamen habere, & potuisset non existere ab æterno: sicut de facto nulla ab æterno existit: cum tamen ex eo, quod essentia Dei sit existere, vel esse; implicet contradictionem, intelligere vitam, vel durationem Dei habere terminum, principium, vel finem.

a 1. Tim. 6.

S. Athana. in tract. de definitionib.
S. Greg. lib. 16. moral. cap. 16.
S. Dion. c. 5. de diu. nom.

Quamobrem Apostolus [a] docet, solum Deum habere immortalitatem; cum ipse solus ita sit, vt absolutè non possit non esse. Cuius enim essentia est esse, vel existere, is omnimodam habet cum non esse repugnantiam:

tiam:

tiam: Nam quod ita est, vt sit origo, & fons totius esse; ipsum necessariò, & semper est; & per consequens perfectissimam habens immortalitatem.

s. Hieron. in ep. ad Damas. quon. vet.
s. Aug. l. 1. & 5. de Trinit.
Boet. l. de Hebdo.
s. Thom. p. p. q. 13. art. 11.
s. Bern. l. 5. de consid. ad Eugen.

Per æternitatem etiam hoc modo explicatam differt Deus ab ijs, quæ æuo durant; vti sunt ea, quæ cœperunt quidem esse, sed non desinent, vt omnes creaturæ, quæ nec materiam habent corpoream, vt Angeli; nec ex materiæ potentia educuntur; quales sunt animæ [a] rationales: quæ quamuis in materia, seu corpore existant; separatæ tamen a corporibus viuunt.

Athan. in tract. de definitionib.
a conc. Later. sub Leone X.
Matth. 10. & 22.
Ioan. 12.



CAPVT NONVM DE VISIONE DEI.



EVM, qui eſt primum ens, actus purus, prima veritas, eſſe maximè intelligibilem in ſe; qui cognouerit eo modo aliquid eſſe intelligibile, quo modo eſt ens, & verum; negare non poteſt.

Difficultas autem eſt, quo modo a nobis cognoſcatur.

Vt autem quæ in hoc capite difficultates oriri poſſunt, explicemus;

QVÆRITVR PRIMO. AN DEVS COGNOSCI POSSIT CLARE, ET INTVITIVE AB INTELLECTV CREATO.



N hac vita etiam Deum cognoſci, ſaltem per ſpecies rerum creatarum; fide docemur, ex illo Pauli ad Corinthios[a]; Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.

a 1. Cor. 13.

Et

Et naturali ratione Philosophos aliquem de Deo efformasse conceptum, quatenus est primum principium, prima causa, primum mouens, & vltimus finis; qui eorum scripta legerit, facilè cognoscet; & ex ijs, quæ facta sunt, discurrendo, intelliget.

Difficultas ergo nunc tantum est.

Vtrùm clarè, & intuitiuè possimus cognoscere, quid est Deus.

Respondetur, Deum posse cognosci clarè, & intuitiuè ab intellectu creato.

Res est certa de fide in Concilio Lateranensi sub Innocentio III[a]. — a cap damnamus, de sum. Trinit. & fid.Cath.

Probatur. Qui videt facie ad faciem, & ita, vt cognoscat, quemadmodum cognitus est; videt clarè, & intuitiuè.

Sed Beati Deum vident facie ad faciem, & cognoscunt, quemadmodum cogniti sunt; ex dictis Apostoli.[b] Tunc autem facie ad faciem: Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. — b 1.Corinth.13. S.Hieron. in 1. ad cor. 13. Cornel. à Lapide in eund. locũ. & alij Auctores apud ipsum.

Ergo Beati vident clarè, & intuitiuè diuinam essentiam. Quod confirmant verba Christi[c]; Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; Quæ visio cum futura sit clara, & distincta cognitio Dei præsentis, & non absentis; & non per alienam speciem, sed sicuti est, videndus sit Deus; vt habetur apud Ioannem[d]; erit clara, & intuitiua cognitio ip- — c Matth.5. — d epist. 1. cap. 3.

a psal.16.

b ep. 1 cap. 1.

c lib.18.mor.c.28.

d Boet.lib.3. de conl. prof.2.

e S.greg.ibid.

f Apoc.cap.1. s.Dionys. ca.5. de diu.nom.

g psal.16.

sius essentiæ diuinæ; quæ cum apparuerit, satiabimur, ex Propheta.[a] Satiabor cum apparuerit gloria tua. Quam satietatem esse sine fastidio, apertè demõstrat illud Sancti Petri;[b] In quem desiderant Angeli prospicere. Quem si nunquam viderent, vti docet Sanctus Gregorius[c]: Beatis mentibus desiderium absque fructu, afferret anxietatem, anxietas verò pœnam; quæ Beatorum statui repugnat, cum sit[d] status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Cum ergo ex scripturis constet, Deum a nobis facie ad faciem, & sicuti est, esse videndum, atque ita, vt [e] absque fastidio satiemur, & vt omnis anxietas, & pœna remouenda sit; necessariò deducitur, Deum posse cognosci clarè, & intuitiuè ab intellectu creato.

His etiam accedit ratio scripturis consentiens, vel ex eisdem deducta. Quia cum Deus sit[f] primum principium, & vltimus finis naturæ intelligentis; maximè congruit, vt per perfectam operationem perfectæ potentiæ possit illi ita vniri, vt tandem in eo conquiescat. Perfecta autem potentia naturæ intelligentis est intellectus: perfecta operatio, est clara, & intuitiua cognitio. Ergo hac tantum habita, conquiescet: tunc enim[g] satiabitur, cum apparuerit gloria Dei.

Id autem intelligitur de clara, & intuitiua cogni-

cognitione Dei, ad quam ſequitur perfectiſſimus amor, & gaudium ob adeptum, ac poſſeſſum illud ſummum bonum, quod cum in via ſit ſpes noſtra, in patria erit beatitudo, & gloria.

Atq; id non repugnare patet; Quia Deus, qui eſt primum ens, & maximè verus, non eſt extra latitudinem obiecti intellectus, quod eſt ens quatenus verum, vel intelligibile.

Ergo intellectus creatus ſi a Deo eleuatus, clara, & intuitiua cognitione in Deum feratur, non fertur extra ſuum obiectum; quod tantum repugnat cognoſcenti potentiæ; quæ cum ſpeciem, naturam, eſſentiam, & quidditatem ſumat ex obiecto, a quo eſſentialiter dependet; non poteſt, ſalua eius eſſentia, extra illud ferri; Non enim ad videndum ſonos poteſt eleuari oculus, aut ad audiendum colores auditus, ſalua horum sēſuum natura: & ſic diſcurrendo per omnes cognoſcentes potentias, certiſſimum eſt, ſalua illarum natura, eas non poſſe ferri extra ſuum obiectum.

Si ergo diuina eſſentia non poſſit ab intellectu creato clarè, & intuitiuè videri; non eſt, quia non ſit intra latitudinem obiecti potentiæ intellectiuæ creatæ, quæ proportionē aliquam, ac relationem eſsentialem habet ad omne id, quod eſt intelligibile, qua ratione intelligibile eſt;

Sed

Sed id erit, quia diuina essentia (intra rationem tamen semper intelligibilis) sui intelligibilitate vim intellectricis, & creatæ facultatis superat, & excedit; quæ si eleuetur ad intelligendū, non destruitur, sed perficitur. Quemadmodum non destruitur visus, si eleuetur ad videndum perfectissimum visibile; aut auris, si adiuuetur ita, vt posit percipere perfectissimum sonum.

Nec tanta requiritur proportio inter rem clarè, & intuitiuè cognoscentem, & ipsam rem cognitam, vt debeant esse eiusdem perfectionis essentialis: Nam Angelus inferioris Hierarchiæ ex communi Theologorum sensu, cognoscit clarè, & intuitiuè Angelos supremæ Hierarchiæ, qui sunt diuersæ, ac maioris perfectionis essentialiter: quæ enim specie differunt, non possunt esse eiusdem perfectionis essentialiter.

Specie autem differre Angelos diuersę Hierarchiæ, communissima sententia est.

a p. p. qu. 50. art. 4. Quinimò in sententia Angelici Doctoris [a], & in tota eius schola, receptissimum est, etiam in eadem Hierarchia omnes Angelos inter se specie differre: non enim multiplicitatis numericæ aliquam est reperire necessitatem, vbi non est materia, & quantitas, quæ materia est radix numericæ distinctionis.

Ex quo deducitur ad claram, & intuitiuam cogni-

cognitionem non requiri inter cognitum, & cognoscentem tantam æqualitatem, ac proportionem, vt debeant esse eiusdem perfectionis essentialis.

Quare licet perfectione essentia diuina infinito excessu superet intellectum creatum: cum tamen sit intra latitudinem obiecti intellectus, quod est verum, seu intelligibile; est talis proportio inter essentiam diuinam, & intellectum creatum, quæ satis est, vt possit eleuari supernaturali auxilio ad illam videndum.

OBIICIES I.

DEus[a] habitat lucem inaccessibilem, quē nullus hominum vidit, sed nec videre potest; Quod non diceretur, si intellectus creatus clarè, & intuitiuè cognoscendo, posset ad Deum accedere, vel eum videre. Non ergo clarè, & intuitiuè potest videri Deus ab intellectu creato. Hoc idem videntur probare alia loca Scripturæ.[b] Deum nemo vidit vnquam: [c] Inuisibili soli Deo. Quibus in locis Deus inuisibilis dicitur.

a 1. ad Timot. 6.

b 1. Ioan. 4.
c 1. ad Timoth. 1.

Respondetur; Deum dici habitare lucem inaccessibilem, quia non potest comprehensiua cognitione cognosci; idest cognosci tantum, quātum cognoscibilis est; quia cum sit in perfectione, & essentia, seu substantia infinitus;

eſt etiam intelligibilis infinita cognitione; ſi debet vis intellectiua ita eſſe perfecta in cognoſcendo, vt correſpondeat omnimodæ perfectioni ipſius obiecti, ſecundum quam intelligibile eſt; quod neceſſarium eſt ad hoc, vt obiectum comprehendatur: nam quod excedit, non comprehenditur, licet attingatur, & apprehendatur.

Dicitur etiam Deus habitare lucem inacceſſibilem, vel quia [a] corporeis oculis non poteſt videri; vel etiam ab [b] intellectu viribus naturæ tantum, & non eleuato lumine gloriæ.

a S. Athan. or. con. idola. S. Hiero. in pſ. 41. S. Aug. ep 6. & 112 Epiph. con. hær. ſ. heref 70. S. Gregor. Nazian. orat. 49. de fid. b Conci. Viennenſ. general. ſub clem. V. in clem. ad noſtrum, de Heretic.

Secundum quem ſenſum intelligendæ ſunt aliæ ſcripturæ, atque etiam Patres, qui videntur abſolutè negare, Deum poſſe videri ab intellectu creato.

Sed contra. Qui clarè, & intuitiuè videt Deum, videt totum Deum; non enim poteſt indiuiſibile clarè, & intuitiuè videri ſecūdum vnam partem, & ſecundum aliam non videri; cum nullas habeat partes.

Qui autem videt totum Deum, & quicquid eſt Deus, Deum comprehendit; quod ſupra negabatur.

Ergo ſi non poteſt Deus comprehendi ab intellectu creato; nec poteſt etiam clarè, & intuitiuè videri.

Reſpondetur. Ad hoc, vt aliquid comprehendatur, non eſt ſatis, vt videatur clare, &

intuitiue totum : sed necesse est, vt adæquatè, & totaliter, id est tam clarè, & euidenter, ac perfectè cognoscatur obiectum, vt non exigat clarius, & perfectius cognosci. Nam, vt dictum est, Angelus inferioris ordinis clarè, & intuitiuè videt Angelum superioris ordinis, non tamen comprehendit.

Eodem modo in visibilibus; multi clarè, & intuitiuè possunt inspicere eosdem characteres; non tamen omnes æquè clarè vident; sed magis, aut minus clarè vident, iuxta maiorem, vel minorem potentiæ videntis perfectionem.

Quamobrem ad cognitionem intuitiuam non est necessarium, vt obiectum videatur, quantum visibile est; sed sufficit, vt videatur totum clarè, & intuitiuè, vt præsens, & non per alienas species; quod appellant videre totum, sed non totaliter, & adæquate.

Sicut vna pars corporis coexistit toti animę, non tamen totaliter, & adæquate; nam Anima coexistit etiam alijs partibus corporis. Item quælibet pars loci, in qua est Angelus, coexistit toti Angelo; sed non adæquate, & totaliter. quia etiam Angelus coexistit totus alteri parti loci.

Quin etiam toti immensitati Dei coexistit quælibet pars loci; sed non adæquate, & totaliter; nam per eandem immensitatem Deus coexistit omnibus alijs locis, & aptus est in-

N fini-

finitis coexistere.

Et æternitati etiam toti, quæ est realiter eius indiuisibilis existentia, coexistit vna pars temporis; sed inadæquatè: quia est aptus Deus æternitate coexistere infinito tempori, vel etiam infinitis temporibus, vel æuis, aut quibusuis alijs durationibus.

Igitur eodem modo, quamuis clarè, & intuitiuè essentia Dei tota videatur a Beatis, non tamen totaliter, & adæquatè videtur; quia potest semper clariori, ac perfectiori cognitione cognosci, posita quacunque cognitione creata, quantumuis perfecta.

OBIICIES II.

SI intellectus creatus posset videre diuinam essentiam clarè, & intuitiuè, haberet aliquam proportionem ad Deum; cum inter potentiam, & obiectum debeat esse aliqua proportio.

Sed finiti ad infinitum nulla est proportio.

Ergo intellectus creatus, qui est finitus, non potest clarè, & intuitiuè videre diuinam essentiam, quæ est infinita.

Respondetur. Inter obiectum, & potentiam clarè cognoscentem debet esse proportio talis, vt sint eiusdem perfectionis essentialis obiectum, & potentia; negatur. Nam si debe-

rent esse eiusdem perfectionis essentialis potentia clarè, & intuitiuè cognoscens, & obiectum cognitum; Angelus inferior nunquam posset cognoscere clarè, & intuitiue Angelum superioris ordinis; cum nunquam posit esse tantæ perfectionis essentialiter Angelus inferior; quantæ perfectionis essentialis est Angelus superior. Quæ enim imperfectiora sunt essentialiter; non possunt, salua illorum natura, crescere in perfectione essentiali. Essentiæ enim sunt sicut numeri, quibus addita, vel detracta vnitate, variantur.

Sed requiritur, vt inter obiectum, & potentiam sit proportio talis, vt potentia habeat in obiecto rationem formalem, secundum quam in illud tendit: & tunc obiectum est potentiæ proportionatum, quando habet in se rationem formalem terminandi potentiæ actum. Quod in casu nostro reperitur; nam obiectum intellectus est intelligibile. Sed Deus est maximè intelligibilis; cum sit actus purus per essentiam existens.

Ergo est intra latitudinem obiecti intellectus, & aptus terminare eius actum. Intelligibile enim omne est aptum terminare intellectionem, quæ est actus intellectus: sicut omne visibile est aptum terminare visionem, quæ est actus potentiæ videntis.

Quod si vlterius vrgeas: Ergo intellectus

creatus etiam absque lumine gloriæ poterit clare, & intuitiue videre diuinam essentiam; quia diuina essentia est intra latitudinem obiecti intellectus creati.

Respondetur; non sequi ex eo, quod aliquid est intra latitudinem obiecti alicuius potentiæ; Ergo potest videri, vel cognosci a potentia clare, & intuitiue, aut perfecte absque vllo auxilio: nam anima rationalis in corpore existēs; cum intelligat per species rerum sensibilium ratione modi intelligendi, quem habet in corpore; non modò Deum, vel Angelos clare, & intuitiue videre non potest; sed neque etiam se ipsam; nam etiam intelligit se existens in corpore, per species rerum sensibilium, iuxta vulgata axiomata: Modus operandi sequitur modum essendi; &, Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Et vnusquisque in se ipso experitur, dum concipit res spirituales, se eas concipere per modum rerum corporalium.

a cap. 33. Idque congruit, si loquamur de Deo, illi loco Exodi[a]. Non videbit me Homo, & viuet. Nam Homo viuens, cum habeat animam in corpore tanquam eius formam existentem; naturaliter quicquid cognoscit, per species rerum sensibilium cognoscit: atque ita clare, & intuitiue non cognoscit spirituales substantias, quas non intelligit per proprias species; &

multò

multò magis diuinam essentiam, quæ est ab omni sensibili accidente remotissima. Supernaturaliter autem eleuari posse animam intellectiuam in corpore existentem ad videndam diuinam essentiam, certissimum est. Nam post corporum resurrectionem beatæ animæ lumine gloriæ illustratæ Deum videbunt. Quemadmodum & anima Christi, qui quatenus homo, erat simul & viator, & comprehensor, a primo instanti suæ conceptionis vidit clarè, & intuitiuè diuinam essentiam.

a S. Thomas 3. p. q. 9. art. 2.

Et non solum ratione modi operandi; sed etiam ob excessum perfectionis; vel defectum, aliquid potest vel superare, vel effugere vim naturalem potentiæ cognoscentis, vt minutissimus coloratus puluis ob materiæ modicitatē, vim potentiæ videntis effugit, licet sit intra latitudinē obiecti potētię videntis; ad quē puluerē videndū perspicillorū auxilio potest iuuari. Et e contrario, oculus non potest perfectissimum, & maximè excedens visibile, vel lumen inspicere, nisi alicuius tubi, vel alterius rei munitus præsidio.

Quando ergo aliquid est intra latitudinem obiecti alicuius potentiæ; non repugnat quidem ab illa potentia percipi; sed non sequitur, vt non indigeat aliquo auxilio, vel ad hoc, vt de facto cognoscat, & percipiat obiectum, vel ad hoc, vt perfectè cognoscat.

creatus etiam absque lumine gloriæ poterit clare, & intuitiue videre diuinam essentiam; quia diuina essentia est intra latitudinem obiecti intellectus creati.

Respondetur; non sequi ex eo, quod aliquid est intra latitudinem obiecti alicuius potentiæ; Ergo potest videri, vel cognosci a potentia clare, & intuitiue, aut perfecte absque vllo auxilio: nam anima rationalis in corpore existens; cum intelligat per species rerum sensibilium ratione modi intelligendi, quem habet in corpore; non modò Deum, vel Angelos clare, & intuitiue videre non potest; sed neque etiam se ipsam; nam etiam intelligit se existens in corpore, per species rerum sensibilium, iuxta vulgata axiomata: Modus operandi sequitur modum essendi; &, Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Et vnusquisque in se ipso experitur, dum concipit res spirituales, se eas concipere per modum rerum corporalium.

Idque congruit, si loquamur de Deo, illi loco Exodi [a], Non videbit me Homo, & viuet. Nam Homo viuens, cum habeat animam in corpore tanquam eius formam existentem; naturaliter quicquid cognoscit, per species rerum sensibilium cognoscit: atque ita clare, & intuitiue non cognoscit spirituales substantias, quas non intelligit per proprias species; &

[a] cap. 33.

multò

multò magis diuinam essentiam, quæ est ab omni sensibili accidente remotissima. Supernaturaliter autem eleuari posse animam intellectiuam in corpore existentem ad videndam diuinam essentiam, certissimum est. Nam post corporum resurrectionem beatæ animæ lumine gloriæ illustratæ Deum videbunt. Quemadmodum & anima Christi, qui quatenus homo, erat simul & viator, & comprehensor, a primo instanti suæ conceptionis vidit clarè, & intuitiuè diuinam essentiam.

a S. Thomas 3. p. q. 9. art. 2.

Et non solum ratione modi operandi; sed etiam ob excessum perfectionis, vel defectum, aliquid potest vel superare, vel effugere vim naturalem potentiæ cognoscentis, vt minutissimus coloratus puluis ob materiæ modicitatē, vim potentiæ videntis effugit, licet sit intra latitudinē obiecti potētię videntis; ad quē puluerē videndū perspicillorū auxilio potest iuuari. Et e contrario, oculus non potest perfectissimum, & maximè excedens visibile, vel lumen inspicere, nisi alicuius tubi, vel alterius rei munitus præsidio.

Quando ergo aliquid est intra latitudinem obiecti alicuius potentiæ; non repugnat quidem ab illa potentia percipi; sed non sequitur, vt non indigeat aliquo auxilio, vel ad hoc, vt de facto cognoscat, & percipiat obiectum, vel ad hoc, vt perfectè cognoscat.

Et

Et ideo quando obiectum perfectione excedit potentiam tantum, vt non poſsit potentia illud perfectè percipere, poteſt hic defectus ſuppleri.

At verò ſi res cognoſcenda non ſit intra latitudinem potentiæ cognoſcentis; non eſt capax, vt eleuetur ad cognoſcendum obiectum alterius potentiæ: non enim viſus poteſt eleuari ad videndum ſonos; quia ſonus non eſt intra latitudinem obiecti potentiæ videntis;

In caſu autem noſtro, Deum ab intellectu creato, ſaltem imperfectè, & obſcurè cognoſci, etiam abſque lumine gloriæ, nec ab Aduerſarijs negari poteſt; nam quando dicunt, Deũ non poſſe videri clarè, & intuitiuè ab intellectu creato; aliquẽ debent de ſubiecto huius enunciationis, qui eſt Deus, efformare conceptum: aliter neſcientes, de quo loquerentur ſubiecto, aliquid de eo affirmarent, vel negarẽt: quo nihil ineptius.

Cum ergo Deus ſit intra latitudinem obiecti intellectus, & infinito exceſſu ſua perfectione ſuperet intellectiuam potentiam creatam; non ſequitur poſſe eum clarè, & intuitiuè uideri ab intellectu creato abſque ullo auxilio: ſed ſequitur, non repugnare, ut cognoſcatur, ſaltem ab intellectu eleuato ſupernaturali Dei auxilio. Nam cum lumine etiam naturali aliquem poſſimus de Deo efformare conceptum,

licet

licet imperfectum; nulla est repugnantia, si ita concipiamus eleuari intellectum creatum, ut clarè, & intuitiuè uideat Dei essentiam.

Quod qua ratione fieri posit, sequentibus quæsitis explicabitur.

Ex his autem, quæ dicta sunt, omnes facilè cognoscere poterunt, quàm inepte locuti sint Petrus Abailardus [a], & Almaricus [b]. Qui contra uniuersalem Ecclesiæ Catholicæ sensum a Patribus, & Scripturis confirmatum, ausi sunt asserere, Deum ab intellectu creato per essentiam, & in se uideri non posse.

a Barõ. ad an. 1140
b Concil Later. sub Innoc. III. cap damnamus, de sum. Trinit. & fid. Cath. anno Domini 1215.

QVÆRITVR SECVNDO

AN DETVR SPECIES IMPRESSA, QVA VIDEATVR DEVS CLARE, ET INTVITIVE.



RESPONDETVR; non dari huiusmodi speciem.

Probatur. Nam species impressa est similitudo obiecti, qua uel obiectum absens fit præsens intellectui, uel materiale obiectum fit intelligibile.

Sed Deus per suam immensitatem est maxime præsens, non solum intellectui, sed etiam

om-

omnibus rebus; & est maximè intelligibilis: quia cum existat per essentiam, est actus purus.

Ergo non indiget aliqua specie, ut repræsentetur intellectui, uel ab intellectu cognoscatur.

Imò, si daretur huiusmodi species, esset superflua, & reddens obiectum suum minus intelligibile, quàm sit in se ipso.

Nam quò magis aliquid recedit a materia; est magis intelligibile.

Sed nihil excogitari potest, quod magis recedat a materia, quàm actus purus per essentiã existens, qui est Deus.

Ergo nihil est magis intelligibile, quàm actus purus, per essentiam existens, qui est Deus.

Ergo si daretur species, per quam intelligeretur Deus, esset minus intelligibilis per illam speciem, quàm per sui essentiam, quæ est actus purus, in suo formali conceptu includens existentiam: & per consequens illa species esset superflua.

Non igitur debet poni: non enim alia est necessitas ponendi impressam speciem: & si alia excogitetur causa; non tanta facilitate astruetur, quin minori difficultate negetur.

Quod si dicas. Datur species expressa in intellectu beato, per quam cognoscit diuinam essentiam.

Ergo

Ergo debet etiam dari species impressa, per quam constituitur in actu primo aptus cognoscere diuinam essentiam.

Respondeo; Per speciem expressam fit intellectus actu, & formaliter intelligens, & cognoscens: non potest autem intelligere, seu cognoscere intellectus, nisi per cognitionem, vel terminum cognitionis, quæ in ipso fit: nam cognitio est actus vitalis, qui essentialiter dependet a vita in genere causæ efficientis, & materialis; atque ita ab intellectu esse, & in intellectu recipi debet cognitio intellectiua; & ideo debet esse illius forma cognitio, per quam intelligit: si non sit illius substantia; quod solum diuinæ conuenit cognitioni, quæ sicut Deus ipse, per essentiam existit.

At verò species impressa se tenet ex parte obiecti, quod si se ipso sit maximè intelligibile, & maximè præsens potentiæ; non requiritur aliqua similitudo ad hoc, vt obiectum vniatur potentiæ: nec per speciem constituitur potens intelligere intellectus; sed a se ipso habet vim intelligendi; si obiectum sit illi proportionatum, & præsens.

Quod si obiectum, vt clarè, & intuitiuè cognoscatur, excedit vim potentiæ cognoscentis, vt contingit in visione Dei; eleuatur intellectus, & fit potens intelligere clarè, & in-

tuitiuè diuinam essentiam per lumen gloriæ; vt infra patebit.

QVÆRITVR TERTIO

VTRVM INTELLECTVS CREATVS INDIGEAT LVMINE GLORIÆ AD VIDENDVM DEI ESSENTIAM.



RESPONDETVR, esse de fide, animam indigere lumine gloriæ ipsam eleuante, ad Deum videndum. Ita definitur in Concilio Viennensi sub Clemente Quinto[a].

a Cap. ad nostrum Clem. de hæret.

Quod etiam probatur. Nam, si intellectus creatus non indigeret lumine gloriæ ad vidēdum Deum clarè, & intuitiuè; Angeli omnes in primo instanti suæ creationis, cum fuerint in statu perfecto naturæ creati, habuissent claram, & intuitiuam visionem Dei: quam si semel habuissent, nūquam potuissent per peccatum amittere: Nam qui clarè, & intuitiuè videt summum bonum, non potest illud non amare. Non enim est aliqua vel apparens ratio mali in summo bono clarè viso, ob quā

volun-

voluntas possit desistere ab eius amore, vel ei non in omnibus obsequi, ac parere. Quam enim rationem mali apprehendere potest intellectus clarè videns infinitam Dei bonitatem aliquid præcipientem; vt possit ei non obedire? Nullam certè, si clarè, & intuitiuè illam videt, quia est de ratione existentis per essentiam, vt sit etiam per essentiam bonum. Et ideo qui clarè, & intuitiuè videt summum bonum, non potest illud non amare, & ei non parere. Nulla enim ratio est alicuius vel etiam apparentis boni, propter quam voluntas desistere possit ab amore eius, qui est per essentiam bonus, vel a mandatis eius recedere.

Confirmatur. Nam ad cognoscendum Deum etiam obscurè per speculum, & in ænigmate, indigemus fide, quæ est habitus supernaturalis, & [a] donum Dei, quo eleuatur intellectus ad credendum ea, quæ a Deo reuelantur.

a ad Ephes. 2. S.Tho.2.2.q.6.art.1.& 2.

Ergo multò magis indiget intellectus supernaturali habitu, vel qualitate, qua eleuetur ad videndum Dei essentiam clarè, & intuitiuè.

Hæc autem supernaturalis qualitas, vel habitus dicitur lumen gloriæ: quia est principiũ visionis beatæ, qua vnimur Deo, qui est gloria nostra.

Quod etiam congruit scripturis; ex quibus deducitur, nos indigere aliquo supernaturali auxilio ad hoc, vt eleuemur ad videndum diuinam essentiam: quæ cum sit gloria nostra, congruè hoc auxilium lumen gloriæ est appellatum. Extat enim apud Prophetã [a]; In lumine tuo videbimus lumen.

a psal. 35.

Humanum vero intellectum in genere saltem indigere aliquo supernaturali Dei dono, vel auxilio, quo eleuetur ad videndum clarè, & intuitiuè diuinam essentiam, ad quam naturæ viribus accedere non possumus; docet Apostolus [b], dum ait, Deum inhabitare lucẽ inaccessibilem. Ex quo necessitatem luminis gloriæ deducit Cardinalis Bellarminus in explicatione huius loci [c]. In lumine tuo videbimus lumen.

b 1. ad Timoth. 6.

c in explicat. psal. 35.

In quem sensum etiam potest intelligi alius locus Apostoli [d], vbi dicitur; Gratia Dei, vita æterna.

d Rom. 6.

De quo dubitare post definitionem Viennensis Concilij, nefas est. Quicquid dixerint Begardi, & Beguinæ in eodem Cõcilio damnati. Contra quos faciunt ea omnia, quæ hic superius dicta sunt.

concilior. generalis. & prouincial. to. 3. par. 2. in general. conc. Vienn. sub clem. V. An. Dom. 1311.

QVAE-

QVÆRITVR QVARTO

VTRVM VIDENTES DIVINAM ESSENTIAM, VIDEANT EA OMNIA, QVAE SVNT IN DEO FORMALITER:



RESPONDETVR. Qui videt diuinam essentiam, videt ea omnia, quæ sunt in Deo formaliter.

Probatur. Quia qui clare, & intuitiuè videt aliquã rem, videt quicquid est illa res.

Sed omnia attributa, quæ sunt in Deo formaliter, sunt idem cum diuina essentia.

Ergo qui videt diuinam essentiam, videt etiam eius attributa.

Maior est certißima:

Minor etiam ex dictis patet. Ex eo enim, quod Deus sit actus purus per essentiam existens; nihil est in Deo formaliter, quod non sit Deus.

Sed contra. Nam, si verum esset dicere; qui videt clare, & intuitiuè diuinam essentiã, videt ea omnia, quę sunt idem cum diuina essentia; qui videt diuinam essentiam, videret

etiam necessariò tres Personas, & relationes, quibus constituuntur Personæ: quæ cum non sint diuinæ essentiæ relatiue oppositæ; vt suo loco dicetur, sunt idem cum essentia diuina.

Ergo, qui videt diuinam essentiam, videret etiam necessariò diuinas Personas, & relationes, quæ sunt idem cum diuina essentia.

Respondetur, concedendo totum.

Quod si quæras; quare non possit videri diuina essentia, non visis Personis; & per consequens non possit videri vna persona, non visa alia: cum vna persona sit realiter distincta ab alia; & vna persona possit terminare vnionem hypostaticam, alia non terminante: nam [b] Personæ Filij in Christo Domino erat hypostatice vnita humanitas, quæ non erat vnita duabus alijs Personis, Patri, vel Spiritui Sancto:

s Dionys. ca. 1. de diu. nom.
s Athan. in rescript. ad Liber. pont.
s. Th 3 p. q. 3. ar 4
b conc. Ephes. general. con. Nestor.

Quare, inquam, non possit etiam vna Persona terminare visionem, & videri clare, & intuitiue, non visa alia Persona, cum nulla possit assignari disparitas:

Respondetur, non posse videri vnam Personam, non visa alia, clare, & intuitiue visa diuina essentia: quia essentia diuina, quæ est idē cum tribus Personis, est terminus formalis visionis.

At verò terminus formalis vnionis hypostaticæ non est essentia diuina formaliter; vti docet Sanctus Thomas:

3. p. q 2. art. 1. & 2. & q 50. art. 2.

Sed

Sed est Persona filij secundum propriam relationem, ac hypostasim, qua distinguitur a Patre, & Spiritu Sancto. Et ideo uisa diuina essentia, non possunt non videri diuinæ Personæ. Vna verò Persona terminante vnionem hypostaticam, & assumente ad se naturam humanam; non est necessarium ab alijs Personis terminari vnionem hypostaticam, & assumi naturam humanam ad se. Sicut fide docemur, de facto Personam Filij assumpsisse naturam humanam, & [a] Verbum carnem factum, quod non dicitur de Patre, neque de Spiritu Sancto.

a Ioan. 1.

Non potest autem videri vna persona, non visa alia: quia cum tres Personæ sint vnus, & idem Deus per essentiam existens; quatenus intelligibiles, non habent relatiuam oppositionẽ: atque ita, cum intelligitur diuina essentia, ob id necessariò videntur diuinæ Personæ, quæ sunt idem cum diuina essentia.

Quod, si dicas. Diuinæ Personæ ab eo, qui clare, & intuitiue videt diuinam essentiam, videntur distinctæ ab inuicem. Ergo etiam, vt distinctæ possunt cognosci intellectiua cognitione. Quod si, vt distinctæ, possunt cognosci, vna sine alia poterit cognosci.

Respondetur. Ab eo, qui clare, & intuitiue videt diuinam essentiam, videntur clare, & intuitiue diuinæ Personæ, etiam vt distinctæ: ob id tamen non sequitur: Ergo vna Persona

potest

poteſt videri ſine alia.

Nam, qui videt intellectiua cognitione clarè, & intuitiuè, verbi gratia, ſpatium, quod eſt accliue; videt, illud idem ſimul eſſe decliue diſtinctum, prout variè connotat eoſdem terminos: non tamen poteſt videre accliue, non viſo decliui, & vice verſa.

Ita, qui videt clarè, & intuitiuè diuinam eſſentiam; videt etiam tres Perſonas ab inuicem diſtinctas, quæ ſunt idem cum diuina eſſentia; quæ in formali conceptu Perſonæ includitur: vt fuſius in tractatu de Trinitate explicabitur. Non tamen poteſt videre vnam Perſonam, non viſa alia. Sicut nec eſſe poteſt vna Perſona ſine alia, vel ab alia diuiſa, & ſeparata: cum vnius eſſentiæ, & ſubſtantiæ ſint diuinæ Perſonæ; quamuis relationibus oppoſitis inter ſe diſtinctæ.

concil. Nicæn. generał. prim Concil. Latera. ſub Innoc. III. cap firmiter, & cap. damnamus, de ſum. Trinit. & fid. Cath.



QVAE-

QVAERITVR QVINTO

VTRVM VIDENTES DIVINAM ESSENTIAM, OMNIA VIDEANT, QVAE SVNT IN DEO EMINENTER.



X. dictis constat, cum Deus sit ens, per essentiam existés, eum esse infinitis modis participabilem a creaturis; & per consequens finitas in infinitum creaturas, non solum numero distinctas; sed natura, & essentia perfectiores, ac perfectiores in infinitum producere posse. Nam producto Homine, verbi gratia, potest Angelum Homine perfectiorem producere. Et sic qualibet data creatura, semper potest aliam perfectiorem efficere.

Quæritur hìc ergo; Vtrum videntes diuinam essentiam, videant, quicquid potest de diuino esse participare, vel quicquid potest diuina potentia operari, aut producere. Cui Quæsito.

Respondeo, dicendum: Videntes diuinam essentiam, non vident ea omnia, quæ sunt in Deo eminenter.

Probatur. Quia, qui cognoscit ita virtu-

tem alicuius rei, vt ex vi illius cognitionis cognoscat clarè, & distinctè, quicquid ea virtus potest producere, eam comprehendit.

Sed essentia diuina, quæ est idem cum eius virtute, est[a] incomprehensibilis ab intellectu creato, vt infra.

[a] Concil. Later. sub Innoc. III. cap firmiter, & cap. damnamus, de sum. Trinit. & fid. Cath.

Ergo videntes diuinam essentiam, non vident omnia, quæ sunt in Deo eminenter, seu quæ possunt a Deo fieri.

Confirmatur. Nam, quæ sunt in Deo eminenter, sunt & numero, & perfectione finita in infinitum: non enim potest dari tam magnus numerus rerum creatarum, quo non possit alius maior a Deo produci, nec vlla tam perfecta creatura essentialiter, qua non possit alia produci maioris perfectionis essentialiter; cum Deus sit infinitæ virtutis, & perfectionis.

Sed actu finita cognitione non possunt cognosci infinita diuersæ perfectionis essentialiter in Deo, quin comprehendatur Deus.

Ergo non possunt cognosci ea omnia, quæ sunt in Deo eminenter.

OBIICIES I.

Anima Christi, quæ est creata, videt in Deo omnes creaturas, quæ habent, vel habuerunt, vel habituræ sunt existentiam

tiam in aliqua differentia temporis, vel per totam æternitatem.

Sed illæ ſunt finitæ in infinitum. Omnes enim cogitationes Hominum, & Angelorum in tota æternitate futuræ, nullo numero comprehenduntur.

Ergo ſunt ſaltem finitæ in infinitum.

Ergo nõ repugnat ab intellectu creato videri infinitum numerum creaturarum.

Ergo non repugnabit etiam videri omnes creaturas poſsibiles; quia non magis ſunt infinitæ creaturæ poſſibiles, quàm futuræ in tota æternitate.

Reſpondetur; ab anima Christi Domini videri omnes creaturas exiſtentes in aliqua differentia temporis, vel in tota æternitate; & iſtas eſſe finitas in infinitum, & nullo certo numero clauſas.

Sed ad videndum creaturas infinitas, quæ non ſint maioris, ac maioris perfectionis eſſẽtialiter qualibet data, non requiritur infinita cognitio; nam cognoſcibilitas eſſentialis eorum, quæ numero tantum differunt, non eſt maior, quàm ſpeciei cognoſcibilitas. Non enim requiritur perfectior cognitio ad cognoſcẽda quælibet indiuidua cuiuslibet ſpeciei; quàm requiratur ad cognoſcendum perfectè, & comprehenſiuè ipſam ſpeciem: quia non eſt aliqua maior perfectio eſſentialis in

aliquo indiuiduo, quæ non sit, vel contineatur in essentiali perfectione speciei.

Et ideo, si species est finitæ perfectionis; non requirit infinitam cognitionem, vt cognoscatur cognitione comprehensiua; etiam si cognoscantur infinita indiuidua sub ipsa contenta. Nam multiplicatio indiuiduorum in eadem specie est materialis, non formalis: ad obiectum autem materiale cognoscẽdum non requiritur perfectior cognitio, quàm requiratur ad formale obiectum cognoscẽdum; si formale obiectum comprehendatur.

Quare, cum anima Christi beata possit comprehendere naturas, & essentias rerum omnium existentium; cum hæ sint finitæ perfectionis essentialiter; poterit etiam cognoscere finita in infinitum indiuidua, existentia sub illis speciebus, si existerent; vel saltem cognoscere finitas in infinitum actiones, & operationes, quas producturæ sunt in tota æternitate, finitæ substantiæ, siue finita indiuidua sub illis speciebus contenta; vt sunt omnes cogitationes Hominum, & Angelorum.

Quod si vlterius vrgeas. Plura indiuidua maioris sunt perfectionis, saltem numericæ. Ergo, vt videantur omnia, requiritur in cognitione, saltem æqualis perfectio indiuidualis, correspondens distinctis, ac infinitis numero perfectionibus obiecti materialis, quæ

sunt

ſunt indiuidua contenta ſub illa ſpecie.

Reſpondetur. Indiuidua etiam ſi ſint numero infinita, habent certam perfectionem, & gradum eſſentialem, quem non excedant: nec inter indiuidua eiuſdem ſpeciei tāta poteſt eſſe differentia indiuidualis perfectionis, quæ ſuperet perfectionem ſpecifici gradus: qui gradus ſi vnica tantum cognitione, cognoſcatur adæquatè, vel quantum cognoſcibilis eſt, non repugnat, per illam cognitionem cognoſci omnia indiuidua; etiamſi nullo ſint certo numero determinata.

Et ſicut non repugnat, ſub vnica perfectione ſpecifica contineri finita in infinitum indiuidua abſque eo, quod ſpecies ſit infinitæ perfectionis; ita per vnam ſpeciem intentionalem poterunt repræſentari finita in infinitum indiuidua abſque infinita perfectione ſpeciei repræſentantis, vel potentiæ cognoſcentis in cognoſcendo; atque ita poterunt cognoſci vna cognitione.

Quod ſi, vt indiuidua rerum ſenſibilium a ſenſu percipiantur plura, requiratur ſemper perfectior cognitio, ac maior intentio, & conatus ipſius ſenſus.

Dicimus; id accidere, quia ſingula indiuidua non videntur per intentionalē vnam ſpeciem, quæ ſit naturæ ſimilitudo; ſed videntur per ſpecies proprias ſingulorum: nam ſenſus

eſt

est particularium, cum intellectus sit vniuersalium: est enim sensus, seu potentia sensitiua, facultas organica vtens corporeo instrumento ad recipiendum similitudinem obiecti materialis, & ad eliciendam sensationem; quæ versatur circa particularia.

Potentia enim vtens corporeo instrumento, non cognoscit, aut sentit per species intentionales, vel similitudines vniuersales naturæ: sed cognoscit indiuidua sensibilia per species eorũdem impressas in organo corporeo: & ideo sensus non abstrahit a materia sensibili singulari; cum tamen intellectus ex sensibilium indiuiduorum speciebus abstrahat a singularibus, ac materialibus obiectis sensuum, vniuersalem naturæ sẽsibilis intelligibilem speciem; per quam intelligibilem speciem si comprehendat naturam illa obiecti similitudine impressa repræsentatam; potest etiam per eandẽ cognoscere omnia indiuidua illius naturæ; cũ non sint maioris perfectionis natura ipsa.

Hinc fit, vt perfectio cognitionis intellectiuæ desumatur ex natura: quæ cum contineat formalem perfectionem omnium indiuiduorum; per similitudinem repræsentantem naturam possunt omnia indiuidua repræsentari: quod non contingit in sensibus, qui cognoscunt per similitudines indiuiduorum, & non naturæ.

Quare

Quare admodum rationi consentaneum est, quod Sanct. Thomas docet [a], Angelos superiores intelligere per pauciores species, & vniuersaliores, quàm Angelos inferiores: vna enim cognitione possunt plura intelligere Angeli superioris ordinis, quàm Angeli inferioris ordinis: & ascendendo magis, cum Deus vnica intellectione, quæ est eius essentia, intelligat omnia; vnica etiam tantum specie, quæ est ipsius substantia, continens omnia, intelligit, & se ipsum, & cætera omnia, quæ ab ipso sunt.

[a] p.p.q.56.art.3.

Vides ergo, quantò magis aliquid vi intelligendi præditum eleuatur supra materiam, indigere paucioribus speciebus, & intelligere per species, & similitudines vniuersaliores in repræsentando: quemadmodum vna cognitione plura cognoscit, quod perfectiorem habet cognoscendi virtutem.

OBIICIES I.

QVi videt clarè, & intuitiuè formam repręsentantem, videt etiam res per illam formam repræsentatas.

Sed intellectus creatus videt diuinam essentiam, quæ est vti forma clarè repręsentans omnia: videt enim cognitionem Dei, quę est eius substantia, per quam ipse Deus formaliter intelligit ita se ipsũ, vt intelligat in se ipso quicquid

quid perfectionis ab ipso esse potest.

Ergo intellectus creatus, videns diuinam intellectionem, quæ est Dei essentia, videt nó solum ipsam substantiam Dei, sed etiam omnes creaturas possibiles per ipsam diuinam cognitionem repræsentatas, & quicquid Deus cognoscit.

Respondetur primò, negando maiorem: Nam, qui videt clarè, & intuitiuè, verbi gratia, Petri effigiem, non videt clarè, & intuitiuè Petrum, vt per se patet; quia non uidet Petrum præsentem in propria specie, seu in se ipso; sed in sua imagine, uel per imaginis speciem.

Respondetur secundò. Ad hoc, ut clarè, & intuitiuè uideatur forma repræsentans; non est necessarium, ut clarè, distinctè, & intuitiuè uideantur res omnes repræsentatæ sigillatim, & in particulari per illam formam: sed sufficit, quod uideantur omnes sub communi quadam ratione, & conceptu. Ad cognitionem autem comprehensiuam formæ, uel naturæ repræsentantis, necesse est cognosci omnia repræsentata.

Cum igitur uidentes diuinam essentiam, non eam [a] comprehendant; neque etiam comprehendent diuinam cognitionem; quæ est idem cum essentia diuina.

[a] Concil. Later. sub Innoc. III. cap. firmiter, & cap. damnamus, de sum. Trinit. & fid. Cath.

Respondetur tertiò. Intellectio est tantum repræ-

repræſentatiua forma omniũ, quæ per ipſam cognoſcuntur reſpectu illius intellectus, cui ipſa intellectio eſt ratio formalis intelligendi; non autem reſpectu illius intellectus, cuius illa eſt obiectum: verbi gratia, intellectio Petri, quæ eſt illius ratio formalis intelligendi, facit illum intelligere quæcunque per illam exprimuntur: non autem hoc idem faceret, ſi ipſa cognoſceretur a Paulo.

Eodem modo; intellectio vnius Angeli ſuperioris, qua comprehendit ſe ipſum, facit, vt cognoſcat clarè, & intuitiuè, & ſuam ſubſtantiam, & omnes etiam res, quas ipſe poteſt efficere: non tamen, ſi illa cognitio eſſet obiectum clarè intellectum ab Angelo inferioris ordinis, Angelus inferior cognoſceret clarè, & intuitiuè, quæcunque cognoſcuntur ab Angelo ſuperioris ordinis, cuius hæc eadem intellectio eſt ratio formalis intelligẽdi: intellectio enim facit tantum intelligẽtem omnia, quorum eſt expreſſiua, intellectum illum, cuius eſt forma, non autem illum, cuius eſt obiectum tantum.

OBIICIES III.

Qvi clarè, & intuitiuè videt ideam alicuius rei, videt etiam res repræſentatas per illam ideam.

Sed Beati clarè, & intuitiuè vident essentiam diuinam, quæ est [a] idea repræsentatiua rerum omnium possibilium; & earum quæ in quacunque temporis differentia habituræ sunt existentiam;

a Boet. lib. 3. de consl. metro 9. s. Aug. lib. 83. quæstionum q. 46.

Ergo vident Beati in Deo clarè, & intuitiuè res omnes possibiles, & existentes in quacunque temporis differentia; vt cælum, & terram, & quæcunque cæli, & terræ ambitu continentur; & quæcunque sunt, fuerunt, & erunt in tota æternitate, & quæcunque possunt à Deo fieri.

Respondetur; negando maiorem.

Non enim qui videt clarè, & intuitiuè ideam; videt clarè, & intuitiuè, quicquid per ipsam repræsentatur; sed, qui comprehensiuè videt, licet non intuitiuè semper, clarè tamen, & distinctè cognoscit, quicquid per illam repræsentatur.

Nam aliquis clarè, & intuitiuè videns exẽplar, vel scenographiam alicuius domus faciendæ, non ob id clarè, & intuitiuè intelligit omnia repræsentata per illam scenographiam. At Architectus, qui eam comprehendit, intelligit omnia per illam repræsentata, aut disposita. Quinimo artis ædificandi expers clarius, & perfectius potest videre modulum, quàm Architectus, si habeat perfectiorem oculum, vel videndi potentiam: & tamen

men res repræſentatas graphide melius intelliget artis peritus:

Non eſt ergo vniuerſaliter verum; qui clarè, & intuitiuè videt aliquam formam, videt, quicquid per illam repræſentatur. Nam in caſu poſito aliquis videns perfectiſſimo modo graphidem, nihil ferè intelligit eorum, quæ graphide repræſentantur.

OBIICIES IIII.

Beati vident potentiam Dei clarè, & intuitiuè.

Ergo clarè, & intuitiuè vident, quicquid Deus poteſt facere:

Sed Deus poteſt facere omnes creaturas poſſibiles;

Ergo Beati vident clarè, & intuitiuè omnes creaturas poſsibiles.

Reſpondetur. Conceſſo antecedenti, negatur conſequentia. Ad hoc enim, vt quis clarè, & intuitiuè cognoſcat potentiam, non eſt neceſſarium, vt clarè, & intuitiuè cognoſcat in ſpecie, quęcunque per illam potentiam fieri poſſunt.

Qui ergo clarè, & intuitiuè cognoſcit diuinam potentiam, ſat eſt, quod cognoſcat omnia poſsibilia ſub ratione quadam communi: quod fiet, ſi cognoſcat, a Deo fieri poſſe, quæcunq;

non implicant contradictionem.

Si vero quis comprehendat potentiam; necesse est; vt in specie cognoscat, quicquid ab ea fieri potest.

Quare solus Deus, qui est actus purus, per essentiam existens, sui essentiam, ac potentiam comprehendens, in se ipso omnia cognoscit.

Ex his sequitur, Deum comprehendi non posse; si loquamur de comprehensione, quæ est adæquata, & totalis cognitio Dei. Nam hoc modo accepta comprehẽsiua cognitio Dei est illa, qua cognoscitur Deus adæquatè, ratione eorum, quæ sunt in illo non solum formaliter, sed etiam eminenter.

a Concil. Later. sub Innoc. III. cap. firmiter, & cap. damnamus, de sum. Trinit. & fid. Cath.

Sed patet ex dictis; non posse cognosci omnia, quæ sunt in Deo eminenter ex vi cognitionis diuinæ essentiæ.

Ergo sequitur, non posse Deũ comprehendi. Esset enim infinita illa cognitio, qua, ex ui essentiæ diuinæ cognitæ, cognoscerẽtur omnia, quæ ab ea esse possunt.

Quod vlterius confirmatur, & explicatur. Nam cognitio comprehensiua est ea, qua cognoscitur obiectum, quãtum cognoscibile est.

Sed Deus, qui est actus purus, per essentiam existens, est infinitæ perfectionis:

Ergo cognoscibilis etiam infinitè perfecta cognitione. Nam ea ratione, qua aliquid est ens, & verum; est etiam cognoscibile:

Sed

Sed nullus intellectus creatus potest ita eleuari, vt infinitæ sit perfectionis in cognoscendo;

Ergo nullus intellectus creatus potest diuinam essentiam comprehendere.

Quod si non potest intellectus creatus diuinam essentiam comprehendere; videntes Deũ, non comprehendent illum: non enim de facto aliquid datur, cui repugnet esse.

Hæc conclusio est certa de fide in Concilio Lateranensi sub Innocent. III.[a] Et multæ scripturæ[b], quæ negant Deum videri posse, dicendæ sunt loqui de comprehensiua cognitione; licet aliquæ loquantur de sensuum, aut naturæ viribus acquisita cognitione.

a cap. firmiter de summ. Trin. & fid. Cath.
b Ioh. 11. Iere. 32. ad Rom. 11. Esdr. 4. c. 8.

Ex his, quæ dicta sunt, facilè cognosci potest, quàm longè a veritate aberrarint Aetius, & Eunomius, qui[c] ausi sunt asserere, Deum non solum a creatura posse comprehendi, sed se etiam ita perfectè Deum comprehendisse, vt Deus ipse se; vel vt ipsi vident se, vel cognoscunt secundum eorum sensibiles qualitates.

Aetius, & Eunom. reijciuntur.
c Barõ. ad an. 360.
Epiph. hæres. 76.

Quos Diuus Basilius redarguit euidenti ratione deducta ab exemplo infimi etiam generis creaturarum, in quibus tam multa ignoramus, vt nos ingenij nostri, scientiæq. pudeat, qui multorum scientia inscitiam nostram augemus, dum imperfectum nostrum rerum cognitione detegimus, ex qua post multum etiã laborem, ac studium cognoscimus de vnaqua-

que

que re a nobis ignorari plura, quàm sint ea, quæ cognoscimus. Vt autem captiuantes intellectum nostrum in obsequium fidei, ad credendum ea, quæ nobis Deus de se, ac diuinis mysterijs reuelare dignatus est, in Dño gloriemur; elegantem orationem, quam de formica Sanctus Basilius [a] ad Eunomij comprimēdam superbiam habet, huc transferendam censui.

a epist. 168. ad Eunomium.

Qui se, inquit, existentium scientiam assecutum esse gloriatur, exponat nobis, quomodo, quod minimum est eorum, quæ in lucem prodierunt, natura habeat: &, quæ formicæ sit natura dicat. An spiritu, vel anhelitu vita ipsius contineatur: an corpus habeat ossium distinctione concinnatum, atque discretum: neruisne, ac nodulis iuncturarum roborata sit. An musculorum, & glandularum complexu neruorum natura vndequaque conseruetur. An e sincipite per dorsuales nodos ad caudam vsque medulla prorogetur. Vtrum ex neruosæ pelliculæ complexione motis membris sit progrediendi facultas. Habeatnè hepar: an sub hepate sit flauæ bilis folliculus: vtrum renes habeat, & cor, & arterias, & membranas, & diaphragmata. Nudàne sit, an crinita. Vnius tantum generis, an multifarijs vtatur pedibus. Quam diu viuat. Et, quæ, sit illius propagandæ posteritatis ratio. Quotuplo fœtu, dum generat, fœcundetur. Et, quomodo,

nec

nec pedestres omnes sint formicæ, nec alatæ omnes: sed aliæ humi repant, aliæ verò per aera volitent. Dicat itaque formicarum nobis naturam, qui eorum, quæ in natura sunt, sciẽtiam cum fastu se prædicat assecutum; atque ita demum de potentia illa omnem intellectiuam superante disputet. Si vero scientia minutissimæ formicæ nondum es assecutus naturam, quomodo incomprehensibilem Dei potentiam imaginatione tua comprehensam esse gloriaris?

Huic argumento similia habet Epiphanius a contra Aetium, & eius sequaces; sic eos interrogans. Dic, ac recense mihi fundamenta terræ, promptuaria abyssi, venas maris, inferni locum, aeris mensuram, cælorum formam, & crassitudines: quod est summum supernorũ; quod est extremum infernorum: quid in dextra: quid in sinistris: creationem, ac formationem tui ipsius mihi dissere, & eorum, quæ in terra sunt inenarrabilia, numerum, ac mensuras. Per cauillum dicunt. Omnia hæc corporalia sunt, & nosse non possumus. Deum autem, qui ipsa fecit, nouimus clarè quis est, & qualis est, & quomodo est. Quis autem, his auditis, non statim risum effuderit? Stolidum enim est hoc totum; quod opificem incomparabilem, ac inenarrabilem dicit se nosse, & exactè scire: quæ verò ab ipso incomparabili fa-

a Hæref. 76.

cta

cta sunt, dicit se ipsum, & suos non scire, &c.

Et qui hæc loquuntur, redarguuntur ab Apostolo[a], asserente, in hac vita cognosci Deum ex parte per speculum, & in ænigmate; & tūc Deum cognoscendum, quemadmodum Homo ipse sibi cognitus est, cum apparuerit gloria Dei: se ipsum pro omnibus constituendo, quibus manifestandus est in gloria Deus, ijs verbis; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscā, sicut & cognitus sum.

a 1. ad Cor. 13.

Si autem nomine comprehensionis intelligamus perfectam adeptionem, & possessionem summi boni, & vltimi finis; omnes Beati cōprehendent Deum, quia clara, & intuitiua cognitione illum tenebunt, & possidebūt ita per visionem beatam, vt nunquam futurum sit, vt possint ab illo separari.

Id autem cōstat ex verbis Apostoli[b]; Sequor autem, si quo modo comprehendam. Et[c]. Sic currite, vt comprehendatis; idest, vt assequamini, & teneatis illud summum bonum visione beata, quod lumine fidei apprehendentes, spe in illud contenditis; vt tandem clarè, & intuitiuè illud cognoscentes, & ei amore adhærentes, perfecti sitis, ac beati.

b ad Philipp. 3.
c 1. ad Cor. 9.

Hoc enim summum bonum clarè visum, est illa corona iustitiæ[d], quam repromisit Deus diligentibus se. Et est brauium illud, quod de virtute in virtutem euntes, & vsque in finem

d Iacob. 1.

in

in gratia Dei per Christum data, perseuerantes, consequemur: ad quod comprehendendũ inuitat Apostolus [a] nos sic currere, vt comprehendamus.

a 1. ad Cor. 9.

QVÆRITVR SEXTO AN ALIQVA SALTEM EORVM, QVAE SVNT IN DEO EMINENTER, VIDEANTVR A BEATIS.



RESPONDEO, dicendum; videri a Beatis aliqua eorum, quæ sunt in Deo eminenter.

Probatur. Quia maximè congruit omnibus Beatis, qui sunt in [b] statu omnium bonorum aggregatione perfecto, ex vi suæ visionis beatificæ (si fieri potest), cognitio omnium illarum rerum, ad quas cognoscendas in illis excitatur in hac vita naturale desiderium.

b Boet. lib. 3. de consol.

Sed in omnibus est naturale desiderium cognoscendi naturas, essentias, & proprietates, ac saltem aliquem numerum indiuiduorum.

Ergo hęc omnia cognoscent, si fieri potest. Ad hoc enim, vt sint beati, licet sufficiat vide-

re diuinam essentiam, quæ sola visa, est apta beare intellectum creatum; tamen, vti dictum est, maximè congruit eorum statui, vt hæc omnia enumerata videant.

Quod vero possint videri in Deo hæc omnia;

Patet. Quia, cum res omnes contineantur in diuina essentia, tanquam in causa, in eadem poterunt cognosci.

Eodem enim modo res se habent ad cognosci, quemadmodum ad esse.

Sed habent esse in Deo, vel essentia diuina.

Ergo in illa possunt cognosci.

Quin etiam erit perfectior cognitio creaturarum, qua cognoscuntur in causa, a qua essẽtialiter dependent, quàm si cognoscantur in se ipsis per proprias species; quia, si cognoscãtur in Deo, non solũ ipsæ cognoscũtur, sed etiã earum principium, causa exemplaris, efficiẽs, & finalis. Omnium enim rerum creatarum essentia est dependere a Deo his tribus causarum generibus.

Quare a Theologis, ex Diuo Augustino [a], creaturæ dicũtur in Deo, vel in Verbo cognosci cognitione matutina, in se ipsis vespertina.

a lib. 4. super gen. ad lit. cap. 23. & seqq.

Perfectius enim cognoscitur, quod est per participationem, & essentialiter dependens, cognita causa, quæ est Deus, per essentiã existens, quàm si solum cognoscatur in se ipso.

Vnde

Vnde, qui videt creaturas in Deo, perfectiori, & excellentiori modo illas videt, quàm si videret in se ipsis per proprias species. Quemadmodum & perfectiori amore diligit creaturas, qui diligit illas propter Deum, quã qui diligit illas propter se ipsas. Quia ea ratione aliquid diligitur, qua ratione est bonũ. Sed res creatæ sunt [a] bonæ dependẽter à bonitate diuina. Ergo tunc perfectissimo modo diligentur, cum propter eandem bonitatem diligentur; quæ enim sunt ad aliquem finem ordinata, gratia illius sunt bona, & diligibilia.

[a] S. Hiero. in ca. 1. ad Ephes. s. Augu. de natura bon. con. Manich.

Cum igitur essentia diuina clarè cognita, sit apta repræsentare creaturas; & creaturæ cognitæ in Deo excellentius, & perfectius cognoscantur, quàm in se ipsis; congruum erit Beatorum statui, si in Deo cognoscant aliquas creaturas.

Est ergo illis hæc cognitio concedenda; sicut conceditur a Theologis; cum non repugnet, sed maximè eorum statui congruat, vt cognoscant aliquas creaturas existentes in aliqua differentia temporis; vel pertinentes ad eorum statum, vel ad quas cognoscendas excitari potuit in ipsis naturale desiderium.

Ob id tamen non est concedendum, videri ab omni Beato, quicquid in tota æternitate creaturæ rationis participes operaturæ, vel cogitaturæ sint: futuræ enim sunt earũ ope-

rationes, & cogitationes finitæ in infinitum, quas nō pertinet cognoſcere ad ſtatum Beatorum; ſicut pertinet ad animam Chriſti Domini, qui eſt caput hominum, & Angelorum.

Ab alijs vero Beatis congruum eſt cognoſci, quid operaturæ ſint creaturæ præſertim intelligentes ad illorum ſtatum ſpectantes; vt ad patresfamilias, quid operaturi ſint, qui de eorum familia ſunt; & ad Religioſorum Patriarchas, quid operaturi ſint, qui eorum Religionem amplexi ſunt, vel amplectentur.

Eſt etiam maximè congruum, & rationi conſentaneum, plures videri ſpecies rerum clarè, & diſtinctè in Deo, quàm ſint illæ, quæ iam productæ ſunt.

QVÆRITVR SEPTIMO

CVR POTIVS HÆ, QVAM ILLÆ CREATVRÆ VIDEANTVR A BEATIS IN VERBO.



CVM creaturæ aliæ ſint eiuſdem perfectionis eſſentialis, vt ſunt omnia indiuidua contenta ſub vna ſpecie; aliæ diuerſæ perfectionis eſſentialis, qualia ſunt ea, quæ differunt ſpecie.

Dico

Dico primò; cur potius hæ creaturæ, quàm illæ maioris, vel minoris perfectionis essentialis videantur in Verbo; oriri ex maiori, vel minori intensione luminis gloriæ.

Probatur ratione Sancti Thomæ [a]: Nam, qui magis, aut minus cognoscit aliquam causam, plures, aut pauciores effectus in illa cognoscit.

[a] 1 p.p. q. 12. art. 8.

Sed, qui habent plures, aut pauciores gradus luminis gloriæ, magis, aut minus cognoscunt diuinam essentiam; quæ est causa omnium rerum.

Ergo, qui habent plures, aut pauciores gradus luminis gloriæ, plures, aut pauciores creaturas in Deo vident.

Dico secundò; cur videantur a Beatis potius hæ, quàm illæ creaturæ eiusdem perfectionis essentialis in Verbo; oriri ex indiuiduali differentia luminis gloriæ.

Probatur: Quia, quæ sunt eiusdem perfectionis essentialiter; non exigunt videri in Deo perfectiori, & intensiori lumine gloriæ, quàm requirat eorum natura; & essentia, vt cognoscatur in causa.

Si igitur ab vno videantur plura, vel pauciora eiusdē perfectionis essentialis in Deo; id tribuēdum erit differētiæ indiuiduali luminis gloriæ, quod est constitutiuū vltimū potentiæ intelligentis, aptæ producere hāc numero visionem,

sionem, per quam formaliter videatur Deus, & hic numerus rerum creatarum.

OBIICIES.

SI ex differentia indiuiduali luminis gloriæ oriretur in Beatis cognitio diuersarũ creaturarum eiusdem perfectionis specificæ; sequeretur, a duobus Beatis, vel pluribus, qui haberent etiam æquale lumen gloriç in intensione, nõ posse videri easdẽ numero creaturas; nã non habent idem lumẽ gloriæ in indiuiduo; lumen enim gloriç existens in intellectu vnius Beati, non existit in intellectu alterius Beati; quæ enim accidentia sunt in distinctis subiectis, non sunt eadem numero.

Cum igitur necesse sit omnes Beatos habere diuersum lumen gloriæ in indiuiduo; nullus Beatus poterit videre easdem creaturas in Verbo eiusdem perfectionis essentialis: quod tamen valdè absurdum est: cum videamus experientia, a diuersis oculis per diuersas visiones, ac species totidem numero visibilia, vel colorata videri.

Ergo ratio, cur potius hæ, quam illæ creaturæ videantur in Verbo, eiusdem etiam perfectionis, non potest referri in luminis gloriæ indiuidualem differentiam.

Respondeo, negando, sequi, non posse videri

deri easdem numero creaturas a diuersis Beatis, quamuis habeant distinctũ numero lumẽ gloriæ: etiam si, cur hæ potius, quàm illæ creaturæ eiusdem perfectionis essentialis videantur in Verbo, oriatur ex indiuiduali differentia luminis gloriæ. Non enim vni lumini gloriæ in indiuiduo tantum conuenit esse principium cognoscendi has creaturas, vel illas eiusdem perfectionis essentialis: sed esse principium cognoscendi has, vel illas creaturas eiusdem essentialis perfectionis, tribuimus multis luminibus gloriæ ob indiuiduales eorum differentias. Nam plura lumina numero differentia tantùm, apta sunt determinare diuersos intellectus ad videndum easdem numero creaturas in Deo: sicut distinctis numero visionibus possunt videri eadẽ numero obiecta eiusdem speciei: vt, quando duo homines vident simul eadem plura alba, vel colorata, tunc vnus habet distinctam visionem ab alio; & tamen videt eadem numero obiecta colorata, quæ videt alter. In duobus autem hominibus non posse esse eandem visionem, constat; quia vnum, & idem numero accidens non potest esse in duobus subiectis.

Et sicut omnes illæ numero visiones, quibus videntur eadem obiecta numero, ob indiuidualem suam rationem differunt ab alijs visionibus eiusdem perfectionis essentialis, quæ

sionem, per quam formaliter videatur Deus, & hic numerus rerum creatarum.

OBIICIES.

SI ex differentia indiuiduali luminis gloriæ oriretur in Beatis cognitio diuersarũ creaturarum eiusdem perfectionis specificæ; sequeretur; a duobus Beatis, vel pluribus, qui haberent etiam æquale lumen gloriç in intensione, nõ posse videri easdẽ numero creaturas; nã non habent idem lumẽ gloriæ in indiuiduo; lumen enim gloriç existens in intellectu vnius Beati, non existit in intellectu alterius Beati; quæ enim accidentia sunt in distinctis subiectis, non sunt eadem numero.

Cum igitur necesse sit omnes Beatos habere diuersum lumen gloriæ in indiuiduo; nullus Beatus poterit videre easdem creaturas in Verbo eiusdem perfectionis essentialis: quod tamen valdè absurdum est: cum videamus experientia, a diuersis oculis per diuersas visiones, ac species totidem numero visibilia, vel colorata videri.

Ergo ratio, cur potius hæ, quam illæ creaturæ videantur in Verbo, eiusdem etiam perfectionis, non potest referri in luminis gloriæ indiuidualem differentiam.

Respondeo, negando, sequi, non posse videri

deri easdem numero creaturas a diuersis Beatis, quamuis habeant distinctũ numero lumẽ gloriæ: etiam si, cur hæ potius, quàm illæ creaturæ eiusdem perfectionis essentialis videantúr in Verbo, oriatur ex indiuiduali differentia luminis gloriæ. Non enim vni lumini gloriæ in indiuiduo tantum conuenit esse principium cognoscendi has creaturas, vel illas eiusdem perfectionis essentialis: sed esse principium cognoscendi has, vel illas creaturas eiusdem essentialis perfectionis, tribuitur multis luminibus gloriæ ob indiuiduales eorum differentias. Nam plura lumina numero differentia tantúm, apta sunt determinare diuersos intellectus ad videndum easdem numero creaturas in Deo: sicut distinctis numero visionibus possunt videri eadẽ numero obiecta eiusdem speciei: vt, quando duo homines vident simul eadem plura alba, vel colorata, tunc vnus habet distinctam visionem ab alio; & tamen videt eadem numero obiecta colorata, quæ videt alter. In duobus autem hominibus non posse esse eandem visionem, constat; quia vnum, & idem numero accidens non potest esse in duobus subiectis.

Et sicut omnes illæ numero visiones, quibus videntur eadem obiecta numero, ob indiuidualem suam rationem differunt ab alijs visionibus eiusdem perfectionis essentialis, quæ

non

non repræsentant eadem numero visibilia, & magis inter se conueniunt; ita poterunt dari diuersa lumina gloriæ, numero tantum distincta, quæ eleuent distinctos intellectus ad videndas easdem numero creaturas in Verbo; & ob eorum indiuidualem rationem distinctam, magis inter se conueniant in repræsentando eadem numero obiecta, quàm cum omnibus alijs luminibus eiusdem perfectionis essentialis; non repræsentantibus easdem numero creaturas in Verbo. In eadem enim specie possunt magis, aut minus conuenire quædam indiuidua inter se, quàm cum alijs; vt supponit argumentum, & experientia confirmatur. Nam diuersis, ac distinctis visionibus videntur eadem numero obiecta, quæ non videntur alijs visionibus eiusdem speciei perfectionis.

Et id non solum contingit, quando a diuersis videntibus eadem numero cognoscuntur, sed idem oculus circa eadem numero obiecta potest diuersas numero visiones producere; verbi gratia si oculus inspiceret decem colorata decies, haberet decem distinctas numero visiones, quæ magis conuenirent inter se, quàm cum alijs visionibus, quibus viderentur aut plura, aut pauciora, ab eodem etiam vidente.

QVAE-

QVAERITVR OCTAVO

AN AB INTELLECTV MAIORIS PERFECTIONIS ESSENTIALITER, MAGIS; AVT PERFECTIVS COGNOSCATVR DIVINA ESSENTIA CVM ÆQVALI LVMINE GLORIÆ, QVAM AB INTELLECTV MINORIS PERFECTIONIS ESSENTIALITER.



X dictis iam constat, ex eo, quod quis habeat perfectius, aut imperfectius lumen gloriæ, perfectius, aut imperfectius ab eo videri diuinam essentiam; & per consequens plures, aut pauciores creaturas diuersæ perfectionis essentialiter.

Sed non est explicatum, an id contingat solum, quando intellectus eleuatus lumine gloriæ est eiusdem perfectionis essentialis; vt est intellectus vnius hominis, comparatus cum intellectu alterius hominis: an etiam quando intellectus sũt diuersæ perfectionis essentialis; vt, cum humanus intellectus comparatur Angelico intellectui.

Respondeo; dicendum, diuersitatem visionis desumendam esse ex diuersitate, vel differentia luminis gloriæ.

non repræsentant eadem numero visibilia, & magis inter se conueniunt; ita poterunt dari diuersa lumina gloriæ, numero tantum distincta, quæ eleuent distinctos intellectus ad videndas easdem numero creaturas in Verbo; & ob eorum indiuidualem rationem distinctam, magis inter se conueniant in repræsentando eadem numero obiecta, quàm cum omnibus alijs luminibus eiusdem perfectionis essentialis, non repræsentantibus easdem numero creaturas in Verbo. In eadem enim specie possunt magis, aut minus conuenire quædam indiuidua inter se, quàm cum alijs; vt supponit argumentum, & experientia confirmatur. Nam diuersis, ac distinctis visionibus videntur eadem numero obiecta, quæ non videntur alijs visionibus eiusdem speciei perfectionis.

Et id non solum contingit, quando a diuersis videntibus eadem numero cognoscuntur, sed idem oculus circa eadem numero obiecta potest diuersas numero visiones producere; verbi gratia si oculus inspiceret decem colorata decies, haberet decem distinctas numero visiones, quæ magis conuenirent inter se, quàm cum alijs visionibus, quibus viderentur aut plura, aut pauciora, ab eodem etiam vidente.

QVAE-

QVAERITVR OCTAVO

AN AB INTELLECTV MAIORIS PERFECTIONIS ESSENTIALITER, MAGIS; AVT PERFECTIVS COGNOSCATVR DIVINA ESSENTIA CVM ÆQVALI LVMINE GLORIÆ, QVAM AB INTELLECTV MINORIS PERFECTIONIS ESSENTIALITER.



X dictis iam constat, ex eo, quod quis habeat perfectius, aut imperfectius lumen gloriæ, perfectius, aut imperfectius ab eo videri diuinam essentiam; & per consequens plures, aut pauciores creaturas diuersæ perfectionis essentialiter.

Sed non est explicatum, an id contingat solum, quando intellectus eleuatus lumine gloriæ est eiusdem perfectionis essentialis; vt est intellectus vnius hominis, comparatus cum intellectu alterius hominis: an etiam quando intellectus sũt diuersæ perfectionis essentialis; vt, cum humanus intellectus comparatur Angelico intellectui.

Respondeo; dicendum, diuersitatem visionis desumendam esse ex diuersitate, vel differentia luminis gloriæ.

Quare, si Angelus inferioris ordinis, vel etiam humanus intellectus haberet maius lumē gloriæ, quàm Angelus superioris ordinis, & Hierarchiæ; clarius, & perfectius videret diuinam essentiam, quàm videat Angelus superioris ordinis, habens imperfectius, ac remissius lumen gloriæ.

Probatur. Quia principium, & causa proxima videndi diuinam essentiam, est lumen gloriæ.

Ergo, qui habet perfectius lumen gloriæ, nisi aliunde impediatur; perfectius videbit diuinam essentiam.

At in intellectu beato, lumine gloriæ eleuato, nihil est considerare, quod possit ipsum impedire, quò minus videat, quantum potest.

Ergo videbit tantum, quantum est aptus videre.

Sed est aptus videre iuxta mensuram luminis gloriæ. Igitur iuxta eam mensuram videbit.

Ergo, qui habet perfectius lumen gloriæ, perfectius videbit, (etiam si sit diuersæ, & minoris perfectionis essentialiter) quàm videat ille intellectus, qui, licet sit maioris perfectionis essentialiter, adhuc tamen habet remissius, atque imperfectius lumen gloriæ: quia lumen gloriæ est ratio formalis cōstitutiua intellectus apti ad videndum clarè diuinam essentiam.

Ex

Ex illo igitur tantum desumenda est perfectio visionis beatæ.

Sicut,si duo calida formaliter,vnum vt duo, (verbi gratia) aurum; alterum vt tria, (verbi gratia) ferrum; deberent calefacere: quamuis aurum sit maioris perfectionis essentialiter; non tamen posset calefacere vnquam vt tria; sicut ferrum, quod est minoris perfectionis essentialiter, calidum tamen vt tria,potest vt tria calefacere: Nam agens in tantum agit, vel est aptum agere, in quantum est actu. Non est autem aurum aptum calefacere, quia aurum; sed quia calidum. Si ergo non sit magis calidum, quàm ferrum, non est aptum calefacere magis,quàm ferrũ: &,si est minus calidũ,minus erit aptũ calefacere; cũ sit minus in actu.

Ita ergo,cum ratio formalis constituens intellectum aptum videre diuinam essentiam, sit lumen gloriæ, vel saltem aliquid æquiualens lumini gloriæ: Ex illo desumenda est differentia visionis beatæ.

Et per consequens cum æquali lumine gloriæ, vel minori, intellectus perfectior essentialiter, non videbit perfectius diuinam essentiam, quàm videat intellectus imperfectior essentialiter, habens tamen æquale, vel maius lumen gloriæ, per quod constituitur in actu primo, vltimò, ac proximè potens videre diuinam essentiam.

OBIICIES I.

FErrum candens, quod est minus calidũ, quàm tenuissima flamma, magis calefacit, & vrit, quàm flamma; vt experientia patet: quia est densius ferrum, quàm flamma: licet calor, qui est principium calefaciendi, maior sit in flamma, quæ est ignis, quàm in ferro candenti, quod adhuc retinet substantiam ferri.

Ergo interdum principium productiuum, si sit perfectius in substantia, licet habeat minoré virtutem productiuam, ac facultatem; adhuc tamen est magis actiuum, & productiuum, quàm illud, quod habet maiorem virtutem, si sit imperfectioris substantiæ, vel habeat alia accidentia, quibus iuuari potest actio, vt sunt in quibusdam materialibus rebus densitas, & durities.

Ergo pari ratione; duo intellectus, licet habeant ęquale lumen gloriæ, possunt perfectius, aut imperfectius videre diuinam essentiam, iuxta maiorem, aut minorem perfectionem essentialem, maiorem, aut minorem vim naturalem intelligendi.

Respondeo; ferrum candens nunquam aptum esse magis calefacere, quàm sit ipsum calidum; licet propter eius duritiem, ac dẽsitatem minus impediri possit eius actio: quia magis

magis superat reactionem passi, magisq; resistit eidem passo, quod patiẽdo reagit: quod non contingit in tenuissima flamma, quæ nõ ita est apta superare resistentiam cuiuslibet passi, & propter suam raritatem minus resistit, & facilius dissipatur: sed si apponatur flammæ materia minus resistens, ac minus reagens, vti stupa; flamma statim ita calefacit, vt statim in ignem conuertat admotam sibi stupam: quod non fiet, si stupa admoueatur ferro minus calido, nec habenti aliquas partes in se, quæ sint in ignem conuersæ, secundum quas partes ferrum etiam, vel, vt melius loquamur, partes ferri in ignem conuersæ, producunt ignem interdum: illæ vero partes non sunt amplius ferrum, sed ignis; & ideo æquè calidæ, ac flamma ex tenuiori materia.

Id autem, quod diximus, verum esse, patet ea ratione; quia agens in tantum agit, in quantum est in actu, vel virtuali, vel formali; si sit causa vniuoca, vel æquiuoca.

Cum ergo ferrum agat in quantum calidum; si est calidum, vt quatuor, nunquam producet calorem, vt quinque, licet possit celerius, ac facilius agere, & difficilius impediri ob conditiones materiæ.

At vero intellectus intelligendo non repatitur ab obiecto ita, vt virtus eius intellectiua

minor fiat, nec obiectum illi reſiſtit: obiectū enim intelligibile ſpeciem producendo in intellectu, non cum deſtruit, ſed perficit; nec impedit intellectus actionem, ſed ad eam eliciendam intellectricem determinat potētiam ita, vt intelligere dicatur pati (quamuis ſit intellectus actio); quia eſt ab obiecto per ſpeciem determinantem intellectum ad intelligendum.

Idq́; perfectiori modo continget in patria, quando vel intellectus erit a corpore ſeparatus, vel ſi humanus erit eidem coniunctus poſt reſurrectionem, non intelliget Deum per ſpecies rerum ſenſibilium, ſed eleuatus lumine gloriæ, intelliget diuinam eſſentiam; & quicquid in illa intelliget, per eandem diuinam eſſentiam, gerentem vicem ſpeciei impreſſæ, cognoſcet.

Si igitur homo habeat maius lumen gloriæ, quàm Angelus, & magis cognoſcet diuinam eſſentiam, & plures in ea erit aptus cognoſcere creaturas ſpecie diuerſas, & de facto cognoſcet; cum nulla ſit ratio, cur Deus nolit manifeſtare creaturas illas, ad quas cognoſcendas conſtituitur aptus intellectus per lumen gloriæ: quod cum detur iuxta vniuſcuiuſque meritum; etiam corona iuſtitiæ nūcupatur: quia eſt beatitudo noſtra in actu primo, & illius principium, & cauſa, ad quam

ſequi-

ſequitur viſio beata, quæ eſt formaliter gloria noſtra, & corona iuſtitiæ, non cauſaliter tantum, vti gloriæ lumen. Quemadmodum, & Deus ipſe, qui eſt noſtræ viſionis obiectum, dicitur merces, & gloria noſtra, non formaliter, ſed obiectiuè.

OBIICIES II.

INtellectiones hominis, & Angeli circa idē obiectum, ſunt diuerſæ ſpeciei, & per cōſequens diuerſæ etiam perfectionis eſſentialiter. Nam intellectiones intellectuum creatorum, quæ ſunt accidentia, differunt inter ſe ſpecie, nō ſolum ob diuerſitatem obiectorum, ſed etiam ſubiectorum, a quibus non minus eſſentialiter dependent, quàm ab obiectis. Et ideo intellectio Angeli ſuperioris ordinis eſt diſtincta, & maioris perfectionis eſſentialiter, quàm ſit intellectio inferioris Angeli, etiam circa idem obiectum. Sicut etiam intellectiones hominum ſpecie differunt ab intellectionibus Angelorum, etiam circa idem obiectum.

Ergo pari ratione intellectus Angeli ſuperioris intelliget diuinam eſſentiam diſtincta intellectione eſſentialiter ab intellectione inferioris angeli, vel hominis: ac per conſequens eius intellectio erit perfectior eſſentialiter: & ſic perfectius repræſentabit, & exprimet diui-

nam

nam essentiam, quàm repræsentet visio intellectus Angeli inferioris ordinis, vel etiam hominis; licet habeant tantundem luminis gloriæ: quod cum non impediat, quò minus illi intellectus differant specie; sic neque etiam impediet, quò minus intellectiones essentialiter dependentes ab illis intellectibus, inter se essẽtialiter differant. Quæ intellectiones si essentialiter inter se differunt, intellectio Angeli superioris ordinis erit maioris perfectionis essentialiter, quàm sit intellectio Angeli inferioris ordinis, vel multò magis hominis.

Ergo perfectius etiam intelliget diuinam essentiam intellectus maioris perfectionis essẽtialiter; licet habeat æquale lumen gloriæ, vel etiam imperfectius, quàm habeat intellectus minoris perfectionis essentialis.

Respondeo; non semper quando duo intellectus differũt specie, etiam eorum intellectiones differre specie, si versentur circa idem obiectum secundum eandem rationem consideratum, vel cognitum; vti contingit in casu nostro, in quo obiectum formale omnium Beatorum est essentia diuina manifestans se clarè videndam per lumen gloriæ. Quinimo interdum, licet actus potentiæ intellectiuæ speciem sumant ab obiecto; veruntamen circa diuersa obiecta, non solum specie, sed etiam genere differentia versantur: & tamen, cum secundũ

ean-

eandem rationem illa obiecta considerentur; intellectiones illæ diuersorum obiectorum nō differunt specie: vt contingit in Metaphysica, quæ considerat ens vt ens, & species specierum entis: inter quæ quædam sunt etiam, quæ plusquam genere differunt, vt Deus, & creaturæ. Sed tamen quia considerantur sub vna, eademq. ratione, scilicet, quatenus abstrahunt a materia re, & ratione, (vti docet Philosophus) & per consequens sunt se ipsis apta facere fidem intellectui independenter a sensibus tam externis, quàm internis; ideo vnam specie scientiam tantum, scilicet, Metaphysicam, extrinsecè specificando, constituunt: quia eodem genere euidentiæ cognoscuntur omnia, quæ in Metaphysica tractantur. Non est enim attendenda differentia in obiecto materiali, sed in formali obiecto. Quemadmodum etiam in ijs, quæ fide cognoscuntur, quia eadem est ratio assentiendi omnibus fide reuelatis, (scilicet, quatenus a Deo reuelata per Ecclesiā credenda proponuntur) actus, & assensus fidei, quamuis circa diuersissima obiecta, inter se specie conueniunt. Nam, vti dictum est, eadem est ratio assentiendi, auctoritas, scilicet, diuina, seu veracitas Dei reuelantis: quæ cum sit vna, etiam fides est vna; Etsi per diuersos Scriptores nobis referantur ea, quæ diuinitus reuelantur. Non enim credimus, quæ per

lib. 1. de Anima tex. 17.

Moysen, aut alios Prophetas, atque Scriptores sacrorum Librorum referuntur, ob auctoritatem Scriptorum, qui sunt potius calami scribentis, dictantis, ac reuelantis Dei; sed ob auctoritatem, ac veracitatem Dei, cui credenda nituntur. Sicut, quæ scribuntur ab historico homine, tantam fidem habent, quanta est auctoritas, diligentia, ac scientia auctoris scribentis, & narrantis: qui cum possit in multis errare; non tantam habent certitudinem, quin cum formidine credi possint.

At vero, quæ per sacros Scriptores traduntur, cum non eorum auctoritate, sed diuina nitantur, quæ nec falli, nec fallere potest; propter summam eius sapientiam, ac bonitatem; hinc est, quod certissimè absque vlla formidine credantur.

Cum igitur certissimum sit, actus, & habitus, atque omnes cognoscentes potentias speciem sumere ab obiectis, quæ si quatenus specificant potentias, habitus, & actus, vna ratione conueniant, etiam actus, habitus, vel potētiæ sunt eiusdem rationis, quamuis obiecta secundum naturam inter se specie, genere, aut etiam plusquàm genere differant, vti constat in exemplis allatis: ita, licet actus in genere causæ materialis, & efficientis dependeant a potentia cognoscente; poterunt tamē esse eiusdem speciei; si præsertim sint circa idem obiectum,

iectum secundum eandem rationem conside-ratum; vti contingit in casu nostro, in quo obiectum visionis omnium Beatorum, tam Hominum, quàm Angelorum, est Deus clarè visus, vel se manifestans Beatis clara visione videndum per lumen gloriæ.

Quare visio beata Angeli superioris nó differt specie a visione beata Angeli inferioris ordinis, vel etiam hominis.

Neque id tantum contingit in actibus potentiarum cognoscentium, in quibus ipsi actus recipiuntur; sed etiam in alijs accidentibus materialibus, quæ sunt in distinctis subiectis specie differentibus, & tamen inter se specie conueniunt; vt quantitates, quæ recipiuntur in omnibus corporibus, quæ tamen inter se specie differunt; sed quia recipiunt quantitates illas secundum eandem rationem, scilicet, secũdum materiam, vel secundum aliquid æquiualens materiæ; ideo illæ quantitates non differunt inter se specie.



QVÆRITVR NONO

VTRVM POSSIT INTELLECTVS CREATVS ABSQVE LVMINE GLORIÆ ELEVARI A DEO AD VIDENDVM CLARE, ET INTVITIVE DIVINAM ESSENTIAM.



VT constat ex ijs, quæ dicta sunt, lumen gloriæ est qualitas supernaturalis, vel habitus eleuãs intellectum ad videndam diuinam essentiam, quo constituitur aptus, & potens intellectus beatus clarè, & intuitiuè videre Deum.

Nunc quæritur; Vtrum ita intellectus constituatur formaliter in actu primo vltimò potens videre diuinam essentiam per lumen gloriæ; vt non possit absque eo, etiam absoluta Dei potentia eleuari ad clarè, & intuitiuè cognoscendum, quid sit Deus. Cui Quæsito.

Respondetur; a Deo posse eleuari intellectum, vel adiuuari ita, vt absque lumine gloriæ videat diuinam essentiam.

Probatur. Quia cum Deus sit ens per essentiam existens, actus purus, & infinitæ virtutis, potest se solo efficere in genere causæ efficientis,

ficientis, quicquid potest cum quolibet instrumento, vel qualibet creatura.

Ergo potest cum intellectu creato, etiam absque lumine gloriæ, maiori concursu concurrere ad visionem beatam producendam. In quo casu intellectus absque lumine gloriæ videbit diuinam essentiam.

OBIICIES I.

DEus non potest constituere effectum formalem sine forma, vt calidum sine calore, hominem absque rationali anima; & sic discurrendo per singula.

Sed intellectus vt potens videre diuinam essẽtiam, est effectus formalis luminis gloriæ.

Ergo non potest absque lumine gloriæ intellectus creatus videre diuinam essentiam, etiam diuina virtute; cum implicet contradictionem, dari effectum formalem sine forma.

Respondetur; lumen gloriæ esse rationem formalem, qua formaliter intellectus constituitur illuminatus, & potens cõnnaturali modo producere visionem beatam; & sine lumine gloriæ, vel aliqua alia forma æquiualenti non potest constitui intellectus formaliter illuminatus, vel aptus connaturali modo producere visionem beatam. Sed hoc non impedit, quò minus intellectus possit adiuuari

ad

ad producendam visionem beatam, si velit Deus maiori concursu cum illo concurrere. Non enim visio beata depēdet a lumine gloriæ in genere causæ formalis, sed in genere causæ efficientis, quam Deus potest supplere. Quod ita verum est, vt possit Deus etiam in genere causæ efficientis supplere concursū aliarum causarum; vt in Sacramento Eucharistiæ in genere causæ efficientis concurrit vice substantiæ panis ad seruanda eius accidentia absq; substātia eiusdē panis, quæ erat causa materialis, non quidem, ex qua componerentur accidentia, sed, in qua recipiebantur, & sustentabantur.

Et licet Deus nō possit facere calidum absque calore; potest tamen absque calore vti re illa, quæ antea erat calida, ad producendum alium calorem in alia materia, vel subiecto. Quod enim potest Deus in genere causæ efficientis cum causis secundis; potest etiam se solo. Quinimo etiam potest frigidis calefacere, & calidis frigefacere:

Sic igitur cū intellectu creato maiori concursu poterit concurrere ad producendam visionem beatam absq; lumine gloriæ, quod in genere causæ efficientis concurrit ad visionem beatam. Aliud est enim producere visionem, aliud constituere formaliter intellectum connaturali modo aptum ad producen-

ducendam visionem: hoc non potest supplere, idest constituere illuminatum intellectum intrinsecè absque lumine gloriæ, vel forma inhærente: sed potest cum intellectu concurrere maiori concursu ad producendam visionem in genere causæ efficientis, vt dictum est.

Nam etsi homo verbi gratia indigeat supernaturali habitu fidei, spei, & charitatis, vt possit producere actus Fidei, Spei, & Charitatis; tamen nulla apparet contradictio, cur non possit Deus absque his habitibus concurrere ad producendum actus fidei, spei, & charitatis; quinimo de facto, quando quis per contritionem, quæ sit actus charitatis, disponitur ad gratiam recipiendam, habet actum charitatis ante habitum; dispositio enim ad habitum, vel formam, natura saltem illam præcedit: nec improbatur eorũ Theologorum sententia, qui sic philosophantur: Ergo pari ratione, cum nulla appareat contradictio, si maiori concursu concurrat Deus ad producendum actum supernaturalem visionis beatæ absque lumine gloriæ; nihil est, quod negemus a Deo fieri posse.

OBIICIES II.

SI Deus in genere causæ efficientis se solo potest producere, quicquid potest

cum

ad producendam visionem beatam, si velit Deus maiori concursu cum illo concurrere. Non enim visio beata depēdet a lumine gloriæ in genere causæ formalis, sed in genere causæ efficientis, quam Deus potest supplere. Quod ita verum est, vt possit Deus etiam in genere causæ efficientis supplere concursū aliarum causarum; vt in Sacramento Eucharistiæ in genere causæ efficientis concurrit vice substantiæ panis ad seruanda eius accidentia absq; substātia eiusdē panis, quæ erat causa materialis, non quidem, ex qua componerentur accidentia, sed, in qua recipiebantur, & sustentabantur.

Et licet Deus nō possit facere calidum absque calore; potest tamen absque calore vti re illa, quæ antea erat calida, ad producendum alium calorem in alia materia, vel subiecto. Quod enim potest Deus in genere causæ efficientis cum causis secundis; potest etiam se solo. Quinimo etiam potest frigidis calefacere, & calidis frigefacere:

Sic igitur cū intellectu creato maiori concursu poterit concurrere ad producendam visionem beatam absq; lumine gloriæ, quod in genere causæ efficientis concurrit ad visionem beatam. Aliud est enim producere visionem, aliud constituere formaliter intellectum connaturali modo aptum ad producen-

ducendam visionem: hoc non potest supplere, idest constituere illuminatum intellectum intrinsecè absque lumine gloriæ, vel forma inhærente: sed potest cum intellectu concurrere maiori concursu ad producendam visionem in genere causæ efficientis, vt dictum est.

Nam etsi homo verbi gratia indigeat supernaturali habitu fidei, spei, & charitatis, vt possit producere actus Fidei, Spei, & Charitatis; tamen nulla apparet contradictio, cur non possit Deus absque his habitibus concurrere ad producendum actus fidei, spei, & charitatis; quinimo de facto, quando quis per contritionem, quæ fit actus charitatis, disponitur ad gratiam recipiendam, habet actum charitatis ante habitum; dispositio enim ad habitum, vel formam, natura saltem illam præcedit: nec improbatur eorū Theologorum sententia, qui sic philosophantur: Ergo pari ratione, cum nulla appareat contradictio, si maiori concursu concurrat Deus ad producendum actum supernaturalem visionis beatæ absque lumine gloriæ; nihil est, quod negemus a Deo fieri posse.

OBIICIES II.

SI Deus in genere causæ efficientis se solo potest producere, quicquid potest

cum

cum causa secunda; poterit etiam producere visionem beatam, & alias intellectiones absque intellectu concurrente in genere causæ efficientis.

Sed actus vitales necessariò, & essentialiter pendent a vita: non enim, verbi gratia, intellectus potest intelligere, recipiendo tantum in se intellectionem; sed debet etiam agere.

Ergo non est verum, quod Deus se solo possit in genere causæ efficientis, quicquid potest cum causa secunda: nam sunt quidam effectus, vt actus vitales, qui necessariò, & essentialiter exigunt produci a vita.

Quod si etiam dicatur de visione beata, quæ necessariò exigat produci ab intellectu lumine gloriæ illustrato; nihil derogabitur potentiæ diuinæ: sicut non derogatur potentiæ Dei ex eo, quod dicatur solus Deus non posse producere intellectiones absq; intellectu intelligẽte.

Respondetur: Actus vitales essentialiter dependent a vita in genere causæ efficientis; & ideo non possunt produci absque vita.

Quare, cum intellectiones sint actus vitales potentiæ intelligentis, essentialiter exigunt produci ab intellectu: & ideo sine intellectu, salua illorum essentia, esse non possunt.

At, si producatur visio beata absque lumine gloriæ, maiori Deo concurrente concursu, vel influxu; nihil ponitur repugnans essentiæ visionis

sionis beatæ, quæ non dependet essentialiter a lumine gloriæ: sicut essentialiter exigit produci ab intellectu creato, quia est eius vitalis actio: & essentialiter etiam exigit produci a Deo; quia est ens per participationem, quod exigit essentialiter produci a Deo, qui est ens per essentiam existens.

Nec Deus habet ab habitibus supernaturalibus, vt possit concurrere cum potentia creata ad supernaturales actus: & supernaturalium actuum essentia optimè saluatur; quomodo, scilicet, sint a principio supernaturali; & non viribus naturæ tantum eliciti; si dicatur Deus concurrere supernaturali, ac maiori concursu, quàm debeatur naturæ. Est enim Deus prima causa per se, & independens, omnium actuum, tam naturalis, quàm supernaturalis ordinis: neque viribus naturæ dici possunt eliciti actus, qui indigent vel supernaturali habitu; vel supernaturali, & non debito naturæ diuino concursu.

Quod si dicas; Causa efficiens non dat essentiam rebus, sed existentiam: facit enim res actu existere, quæ antea erant in potentia: quia eius causalitas est actio, per quam res accipit esse actu, seu existentiam.

Sed existentia[a], vt patet ex dictis capite primo, non est de essentia alicuius rei creatæ.

Ergo illud, quod accipiunt res a causa effi-

a S.Hier.in cap.3. ad Ephes. S. Aug. lib.7. Confess.cap 11. S.Gregor.libr.16. moral. cap.16. Boet. lib. de hebdom.cap.1.

 cienti,

cienti, non erit de essentia; atque ita neque erit de essentia dependere a causa efficienti: Ea enim ratione aliquid dependet a causa, qua recipit esse ab illa.

Sed a causa efficienti res non recipiunt essentiam, sed existentiam;

Ergo non dependent essentialiter a causa efficienti.

Malè igitur distinximus, dicentes, quosdam effectus non posse produci a solo Deo, quia in genere causæ efficientis essentialiter dependēt ab aliqua causa creata; quales sunt intellectiones, & alij actus vitales.

Respondetur; res dici dependere essentialiter a causa efficienti, quia earum essentia ita exigit coniungi cum existētia dependenter ab illa causa, vt non possit concipi existere, quin concipiatur ab illa dependere. Et sicut non potest concipi existens per participationem, quin concipiatur existere dependenter ab eo, quod est per essentiam: ita non potest concipi intellectus intelligere, quin concipiatur producere intellectionem: & per consequens intellectio, qua intellectus intelligit, non potest concipi existere independenter ab intellectu.

Ob id non incongruè dicerentur actus vitales quatenus existentes, essentialiter dependere a vita in genere causæ efficientis: quia quatenus existentes, nec esse, nec concipi possunt

ſunt abſque dependentia a vita.

Ex his aduerte, ad hoc, vt aliquid dependeat eſſentialiter, ſatis eſſe, vt re ipſa dependeat ab illa cauſa, a qua eſſentialiter dependere dicitur, nec poſſit perfectè concipi, aut eſſe, abſque eo, quod ab illa dependeat; ſiue deinde dependeat ab alia cauſa: ſiue non. Nam, verbi gratia, actus vitales eſſentialiter dependent a vita, quatenus actus vitales; & a Deo, quatenus entia per participationem: & tamen poſſunt dependere ab alijs cauſis; vti dictum eſt de viſione beata, quæ non ſolum a Deo, & intellectu creato, ſed etiam a lumine gloriæ dependet: & naturales intellectiones eſſentialiter dependent ab intellectu, & interdum etiã dependent ab habitu, poſtquam quis per frequentatos actus acquiſiuit habitum.

Quare, quod dependet eſſentialiter ab vno, licet ſemper ab illo neceſſariò dependeat; hoc tamen non impedit, quò minus poſſit dependere ab alio.

Et ideo de eſſentia actus vitalis eſt quidem, vt eſſentialiter totus dependeat a vita: ſed non eſt neceſſarium, vt totaliter dependeat: vt patet in exemplis allatis.

Et expreſsius conſtat in rebus omnibus, & ſubſtantijs creatis, quæ eſſentialiter dependent a Deo; & tamen interdum a Deo ſimul cum cauſis ſecundis efficiuntur.

QVÆRITVR DECIMO VTRVM DEVS VIDERI POSSIT OCVLIS CORPOREIS.



RESPONDETVR; Deum non posse videri oculis corporeis.

Probatur. Quia nulla potentia potest ferri extra proprium obiectum; vt est communis Philosophorum sententia, quam etiam recipit Sanctus Thomas[a]. Sumunt enim potentiæ speciem, seu essentiam ab actibus, & obiectis.

a p.p.q.12. art.3.

Sed obiectum potentiæ visiuæ per oculum corporeum videntis, est color, vel lumen.

Ergo non potest oculis corporeis videri, quod non est, aut non habet corporeum lumen, vel colorem.

Sed cum Deus sit actus purus per essentiam existens; neque corporei luminis, neque coloris capax est.

Ergo non potest videri oculis corporeis.

Et hæc ratio congruit scripturis, in quibus asseritur incorporeus Deus, vt[b] Spiritus est Deus. Et per consequens inuisibilis oculis corporeis.

b Ioan 4.

Iux-

Iuxta quē ſenſum poſſunt etiã intelligi aliæ ſcripturæ[a]; quibus dicitur inuiſibilis Deus.

Et hanc veritatem ſuadet doctrina Sanctorum Patrum[b], qui paſſim aſſerunt, Deum inuiſibilem eſſe oculis corporeis.

Quod ſi in carne dicatur Deus videndus, vt, In[c] carne meâ videbo Deum Saluatorem meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius; & oculi mei conſpecturi ſunt.

Is locus intelligitur de Deo Saluatore, qui eſt Chriſtus Dominus, qui eſt Homo, & Deus, qui quatenus Homo, etiam corporeis oculis videri poteſt; vel etiam quatenus Deus ab anima in corpore exiſtente, poſt reſurrectionem videri poteſt, non corporis[d], ſed mentis oculis, ſcilicet, intellectu.

a 1. ad Timot. 1. 1. ad Timot 6. ad Rom. 1. ad Hebr. 11; Ioan. 1. 1. Ioan 4.
b S Greg. Nazian. orat. 49. s. Epiph. con. hær. l. 3. hæreſ. 70. s. Athanaſ. orat. con. Idola. s Hilar. explicat in pſ. 118. s. Ambr. in Euang. Luc. s. Hiero. in pſ. 41. in Iſa. cap. 6. & in Cant. Cant. s. Aug. ep 6. & 111 & lib. 1 de Trinit. cap. 6.
c Iob. 19.
d s. Tho. p. p. q. 12. art. 3.

OBIICIES.

Virtus Dei non eſt alligata inſtrumentis. Ergo poteſt oculo corporeo producere viſionem beatam, ſicut poteſt materiali elemento in Sacramentis producere gratiam.

Quod ſi oculis corporeis producatur viſio beata, oculis corporeis videbitur Deus.

Reſpondetur. Oculis corporeis poteſt quidem Deus producere viſionem beatam in intellectu creato, ipſo etiam intellectu producente,

te, & recipiente eandem visionem beatam. At in tali casu oculus corporeus, vel potentia visiua non videbit Deum; sed intellectus, qui etiam eandem visionem recipiet, & producet, videbit diuinam essentiam.

Nam etiam lumen gloriæ, licèt actiuè cõcurrat ad visionem beatam; non ob id tamen ipsum lumen gloriæ videt diuinam essentiam per visionem a se productam: quinimo & ipse Deus, qui cum sit ens per essentiam existens, debet concurrere in genere causæ efficientis ad visionem beatam producẽdam in intellectu creato, non videt suam essentiam visione producta in intellectu creato.

Satis ergo constat, non sufficere ad hoc, vt aliquid dicatur videre, vel intelligere, vt actiuè concurrat ad producendam intellectionem, vel visionem; sed necesse est etiam, vt potentia videns, vel intelligens, non solum actiuè concurrat producendo, sed etiam passiuè recipiendo.

Quare, cum oculus corporeus non possit eleuari ad producendam intellectionem beatam, in se illam recipiendo; non potest videre diuinam essentiam, licet ad illius visionem actiuè concurrere possit virtute diuina; quæ potest quidem, producens actus vitales, vti alio instrumento a vita, ita tamen, vt semper vita, seu potentia vitalis concurrat, & producen-

ducendo, & recipiendo ipsam vitalem actionem, quæ essentialiter dependet a vitali potentia in genere causæ efficientis, & materialis, non quidem ex qua constituatur ipsa vitalis actio, sed in qua recipiatur. Hæc est enim natura actus vitalis, vt non possit existere, quin sit, aut recipiatur in vita.

Quando igitur dictum est, posse produci actum vitalem alio instrumento a vita distincto, admittitur quidem ad agendum aliud instrumentum a vita distinctum, sed non excluditur vita, a qua necesse est in genere causæ efficientis etiam pendere actum vitalem totum, licet non totaliter.

Sed contra. Actus vitalis non minus essentialiter dependet a vita in genere causæ efficientis, quàm in genere causæ materialis.

Sed in genere causæ efficientis visio beata potest produci ab oculo corporeo, salua eius substantia;

Ergo poterit etiam in illo recipi, salua essentia visionis beatæ; nam ad hoc, vt sit essētia actus vitalis, non est necessarium, vt actus vitalis sit totaliter a vita in genere causæ efficientis, licet ab illa essentialiter dependeat in genere causæ efficientis.

Ergo neque etiam necesse erit, vt totaliter dependeat a vita in genere causæ materialis recipientis.

Quod

Quod si ponatur, oculum, & producendo, & recipiẽdo concurrere ad visionem beatam, videbit diuinam essentiam.

Et si potest actiuè concurrere; assignetur disparitas, cur non possit etiam passiuè recipiendo concurrere.

Respondetur. Non potest oculus passiuè concurrere, & actiuè simul, recipiendo in se visionem beatam, quia adæquatè, & totaliter in genere causæ materialis recipientis visio beata, vt actus vitalis dependet ab intellectu; sicut contingit in omnibus accidẽtibus; quæ non possunt vnquam simul pendere a duobus recipientibus subiectis adæquatis, vt discurrendo per omnia accidentia patet.

Cum ergo actus vitales sint determinati essentialiter ad perficiendam vitalem potentiam, non poterunt recipi in alio subiecto: de essentia enim actus vitalis est dependere totaliter, & adæquatè a vita tanquam a recipiente subiecto, ad quod tantum perficiendum essentialiter ordinatur.

Quod, si interdũ diceretur lumen gloriæ cõcurrere in genere causæ materialis; nõ est, quia lumen gloriæ recipiat in se visionem beatam, sed quia disponit intellectricem potentiam ad connaturalius recipiendum visionem beatam: sicut primæ qualitates, calor, & frigus, siccitas, & humiditas, etsi disponũt mate-

materiam ad recipiendum formas elementorum; non tamen in se illas recipiunt; & dicuntur in genere causæ materialis esse causa formæ elementorum, quia tantum disponunt materiam.

Non negamus tamen primas qualitates cõcurrere etiam in genere causæ efficientis ad productionem elementorum, quatenus per illas formæ substantiales elementorum educuntur de potentia ad actum.

Ex his, & alibi dictis patet differentia; cur scilicet potentia intellectiua, vel omnis vitalis potentia se sola debeat concurrere ad actum vitalem recipiendum, non autem ad illum producendum. Quia, vti dictum est, de essentia actus vitalis est, vt dependeat quidem totus a vita producente, sed non totaliter; nam essentia etiam actus vitalis exigit, vt in genere causæ efficientis recipiat esse a Deo; qui cum sit ens per essentiam, & actus purus, est fons, & origo, dans rebus omnibus existentiam, secũdum quamlibet etiam earum differentiam, ac modum.

Quare non valet dicere; essentialiter depẽdet in genere causæ efficientis; ergo totaliter, & adæquatè: omnes enim res essentialiter dependent in genere causæ efficientis a primo ente, qui est Deus per essentiam existens; & tamen possunt dependere a causis secundis. Et

Quod si ponatur, oculum, & producendo, & recipiẽdo concurrere ad visionem beatam, videbit diuinam essentiam.

Et si potest actiuè concurrere; assignetur disparitas, cur non possit etiam passiuè recipiendo concurrere.

Respondetur. Non potest oculus passiuè concurrere, & actiuè simul, recipiendo in se visionem beatam, quia adæquatè, & totaliter in genere causæ materialis recipientis visio beata, vt actus vitalis dependet ab intellectu; sicut contingit in omnibus accidẽtibus; quæ non possunt vnquam simul pendere a duobus recipientibus subiectis adæquatis, vt discurrendo per omnia accidentia patet.

Cum ergo actus vitales sint determinati essentialiter ad perficiendam vitalem potentiam, non poterunt recipi in alio subiecto: de essentia enim actus vitalis est dependere totaliter, & adæquatè a vita tanquam a recipiente subiecto, ad quod tantum perficiendum essentialiter ordinatur.

Quod, si interdũ diceretur lumen gloriæ cõcurrere in genere causæ materialis; nõ est, quia lumen gloriæ recipiat in se visionem beatam, sed quia disponit intellectricem potentiam ad connaturalius recipiendum visionem beatam: sicut primæ qualitates, calor, & frigus, siccitas, & humiditas, etsi disponũt mate-

materiam ad recipiendum formas elementorum; non tamen in se illas recipiunt; & dicuntur in genere causæ materialis esse causa formæ elementorum, quia tantum disponunt materiam.

Non negamus tamen primas qualitates cõcurrere etiam in genere causæ efficientis ad productionem elementorum, quatenus per illas formæ substantiales elementorum educuntur de potentia ad actum.

Ex his, & alibi dictis patet differentia; cur scilicet potentia intellectiua, vel omnis vitalis potentia se sola debeat concurrere ad actum vitalem recipiendum, non autem ad illum producendum. Quia, vti dictum est, de essentia actus vitalis est, vt dependeat quidem totus a vita producente, sed non totaliter; nam essentia etiam actus vitalis exigit, vt in genere causæ efficientis recipiat esse a Deo; qui cum sit ens per essentiam, & actus purus, est fons,& origo, dans rebus omnibus existentiam, secũdum quamlibet etiam earum differentiam, ac modum.

Quare non valet dicere; essentialiter depẽdet in genere causæ efficientis; ergo totaliter, & adæquatè: omnes enim res essentialiter dependent in genere causæ efficientis a primo ente, qui est Deus per essentiam existens; & tamen possunt dependere a causis secundis. Et

intellectiones, quæ sunt actus intellectricis potentiæ, essentialiter exigunt produci ab intellectu; & tamen interdum etiam ab habitu post frequentatos actus acquisito, producuntur.

Quinimo non desunt Theologi, qui dicant, ignem inferni eleuari ad torquendum animas damnatorum ita, vt actiuè concurrat ad producendum dolorem, qui est actus vitalis, voluntatis, scilicet, refugientis malum præsens, quod vitare non potest.

S. Augu. lib. 21. de Ciu. Dei cap. 10. S. Greg. lib. 4. Dial. cap. 29. Card. Bellar to. 2. controu. de purg. lib. 2. cap. 12.

Quæ enim dependent essentialiter in genere causæ efficientis ab aliqua causa, sunt ea, quorum essentia exigit coniungi cum existentia à tali causa, sed non semper totaliter, & adæquatè.

Nam nulla est causa secunda efficiens, quæ in agendo a sui saltem consortio possit excludere Deum.

At verò, vti dictum est, vitales actus adæquatè dependent a vita tanquam a subiecto recipiente, cum ad illam tantum perficiendam sint essentialiter ordinati: atque ita in genere causæ materialis recipientis non possunt ab alio dependere, quàm ab ea vita, vel potentia, cuius sunt actus; ad quam tantum perficiendam essentialiter sunt ordinati.

Nomine autem potentiæ non excludimus organa, vel corporea instrumenta, per quæ fiunt sensationes: Nam, qui dicunt sensationes re-


recipi immediatè in organo, vel in inſtrumento, per quod fit ſenſatio, vt viſionem in oculo; dicent eſſentialiter viſionem ordinari ad perficiendum tantum potentiam videntem medio corporeo inſtrumento, ſcilicet oculo.

Ex his facile erit reijcere Antropomorphitarum errorem, qui corporeum Deum aſſerentes, etiam videri poſſe oculis corporeis conſequenter dicebant. Sed, vti manifeſtiſsimè conſtat, [a] Deus ſpiritus eſt, non corpus: cum ſit actus purus per eſſentiam exiſtens, & omnem corpoream a ſe [b] qualitatem, & materiale accidens excludat, ac per conſequens etiam colorem, & lumen, quæ ſunt obiectum oculi corporei, ſeu potentiæ ſenſitiuæ videntis, vel viſus: & ideo oculis corporeis videri non poteſt, vt ratione probatum eſt, quam ex Scripturis, & Patribus confirmauimus.

Antropomorphy. reijciuntur. Baron. ad an. 341. S. Epiph. hæreſ. 70. S. Aug. lib. de hæreſib. hæreſ. 50. ep. 111. & 112 & lib. con epiſt. Manich. cap. 23. S. Greg. lib. 32. Moral. cap. 6.

a Ioan. 4.

b S. Athan. epiſ ad Epiſc. Aphricanos S. Leo epiſt 93 decret. ad Turrib. epiſ. cap. 5.



CAPVT DECIMVM
DE SCIENTIA DEI.



X ijs, quæ dicta ſunt præcedentibus capitibus, cum Deus ſit ens per eſsentiam exiſtens, actus purus, prima rerum omnium cauſa efficiens, finis, & exemplar; conſtat eum intelligendo debere operari; atque ita perfectiſsima viuere vita, quod eſt intelligere.

Quare & ratione dictante, & ſcriptura docente, non minus ſtultum eſt negare de Deo intelligere, & ſcire, quàm ipſum eſse; qui ſi eſse negetur, tota rerum creatarum vniuerſitas omnino corruat neceſse eſt; qua enim ratione intelligi poteſt, eſse res creatas, quæ per participationem, & dependenter ſunt, & exiſtunt, ſi non ſit, atque exiſtat id, quod eſt per eſsentiam?

Ita non minus repugnat, Deum non intelligere, quàm Deum non eſse. Qui cum ſumma ratione condiderit vniuerſa, perfectiſsimo modo ea regit, & gubernat, quod abſque infinita

finita

finita scientia, atque intelligentia fieri non potest.

Qua sola ratione conuicti Philosophi vnũ Deum esse primam causam docuere: nolunt enim (vti dixit Philosophus[a]) entia malè gubernari. Non est bona pluralitas principatuum. Vnus ergo Princeps.

a Arist. 12. metaph tex 55.

Idem igitur est, negare, Deum esse, atque intelligentem non ponere, qui a videndo, atque intuendo dictus est Deus; qui cum sit per essentiam existens, necesse est viuat perfectissima vita. Perfectissima autem vita est intelligere.

Quare necesse est Deum intelligentem esse.

Quod etiam scripturæ docent.

[b] Domine, qui habes omnium scientiam. b Esth. 14.

[c] Nunquid Deum docebit quispiam scientiam? c Iob 21.

[d] Mirabilis facta est scientia tua ex me. d ps. 118.

[e] Oculi Domini lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes scientias hominum, & profundum abyssi. e Eccl. 23.

[f] Cognouit enim Dominus omnem scientiam. f Eccl. 42.

[g] O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. g ad Rom. 11.

[h] In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. h ad Colos. 2

Omnia

a ad Hebr. 4. [a] Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Vt autem hæc veritas diuinitus reuelata, nobis innotescat magis;

QVAERITVR PRIMO

VTRVM DEVS SE IPSVM INTELLIGENDO COMPREHENDAT.



RESPONDEO. Ita se ipsum intelligit Deus, vt comprehendat.

Probatur: [b] Qui cognoscit obiectum, quantum cognoscibile est, illud comprehendit.

b s. Tho. p. p. q. 14. art. 3.

Sed ita se ipsum [c] cognoscit Deus,

c s. Tho. loc. cit.

Ergo se ipsum comprehendit.

Maior est certissima. Cum enim obiectum non excedit vim cognoscentis potentiæ, tunc cognosci potest quantum cognoscibile est.

Sed, cum in Deo sit idem virtus cognoscendi, cognitio, & res cognita; si Deus est aptus se ipsum cognoscere quantum cognoscibilis est; ita etiam actu se ipsum cognoscet. In diuinis enim non differunt esse, & posse, ex Sancto Thoma [d].

d p. p. q. 41. art. 6.

Quod & euidenter deducitur ex eo, quod Deus

Deus sit per essentiam existens, actus purus, omnino simplex, & impermixtus: in quo est idem non solum vis cognoscendi, & cognitio; sed cognitio, & res cognita, quæ est diuina essentia, ac Deus, qui simul & cognitio, & res cognita est; vti dictum est.

Sicut ergo nihil se ipsum excedere potest; ita etiam nec diuina essentia, vel Deus, qui est res cognita, poterit suam excedere cognitionem, quæ est Dei essentia, ac Deus ipse.

Quando autem res cognita non excedit facultatem cognoscentis virtutis; per cognitionem comprehenditur.

Ergo Deus se ipsum cognoscens, comprehendit.

Quod vlterius confirmatur. Quia, cum intelligere Dei sit eius essentia, vel substantia, quæ est etiam res intellecta, & obiectum; non excedet obiectum cognitum cognitionis perfectionem; atque ita cognitio, qua se ipsum cognoscit Deus, erit comprehensiua, & adæquata cognitio.

Quod, si se ipsum comprehendat Deus; cognoscet etiam quicquid ab eo fieri, & rationem entis participare potest; videt enim sui substantiam, quæ cum per essentiam sit, infinitis modis est participabilis a creaturis, & per consequens in se ipso intuetur quicquid de diuino esse participare, & illud imitando

expri-

exprimere potest; vel vt vestigium, quales sunt res intellectus expertes; vel vt imagines, quales sunt res intellectu, ac voluntate prædite.

Aduertendum autem est, quādo diximus, a Deo cognosci omnes creaturas possibiles, particulam illam, omnes, non dicere certum numerum, & collectionem determinatam rerum creatarum; cum nullo certo numero, aut collectione contineantur; sed positam esse illam particulam ad significandum, nihil esse, quod non cognoscat Deus: cuius cognitio, cum sit actu infinita; nihil est, quod ipsam effugere possit.

a Hebr.4. Quare de Deo Apostolus dixit[a]; Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: Omnia autem nuda, & aperta sūt oculis eius.

b epist.1. cap.3. Ioannes verò[b]. Maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.

c cap.28. Iob item[c]. Ipse fines mundi intuetur, & omnia, quæ sub cælo sunt, respicit.

d cap. 16. II. Paralipomenon[d] habemus; Oculi Domini contemplantur vniuersam terram.

Ex quibus scripturæ locis satis apertè colligitur, nihil esse, quod non videat Deus, qui cum omnia in se ipso cognoscat; ex vi illius cognitionis, qua se ipsum intuetur; sequitur Deum se ipsum comprehendere; cum nihil in se ipso siue formaliter, siue eminenter ha-

beat


beat Deus, quod non cognoscat.

Difficile autem explicatu est; quomodo Deus cognoscat res quacunque temporis differentia existentes, cum illæ quatenus existentes, non habeant esse necessarium, sed contingens, quod in rebus possibilibus non accidit; cum hæ necessariò sequantur diuinam essentiam. Ex eo enim, quod Deus sit per essentiam, sequitur necessariò, quod infinitis modis possit participari: quod si infinitis modis potest participari: necessariò etiam possibiles sunt infinitæ creaturæ maioris, ac maioris perfectionis in infinitum, quas necessariò comprehendit Deus, qui se ipsum, ac sui essentiam cognoscendo, comprehendit.

Cui difficultati vt satisfiat;



QVÆRITVR SECVNDO AN, ET QVOMODO DEVS COGNOSCAT RES EXISTENTES IN QVACVNQVE DIFFERENTIA TEMPORIS.



A Deo cognoſci, & comprehendi ſuam ſubſtantiam, vti quæſito præcedenti diximus: ita certum eſt, quemadmodum certum eſt, Deum eſſe Deum, actum purum, per eſſentiā exiſtentem, cuius eſſe eſt intelligere.

Difficultas maior eſt de creaturis exiſtentibus, ſeu habituris exiſtentiam in aliqua differentia tēporis, quomodo illas cognoſcat Deus.

Nam creaturæ poſsibiles ſatis ſufficienter, & neceſſariò repræſentantur per eſſentiam diuinam: quæ cum ſit infinitis modis participabilis, & imitabilis a creaturis, quæ nunquam ſufficienter, & adæquatè poſſunt exprimere, & adæquatè imitari diuinam eſſentiam; ſequitur neceſſariò, poſita diuina eſſentia, ac ſubſtantia, finitas in infinitum poſſe dari creaturas poſſibiles diuerſi gradus, ac perfectionis eſſentialis, quæ imitentur, atque exprimant diuinam eſ-

ſentiam; qua comprehenſa, neceſſe eſt eas creaturas,quas poſsibiles diximus, cognoſci. Quod non contingit in creaturis exiſtentibus in aliqua differentia temporis, quæ, diuina comprehenſa natura, non neceſſariò cognoſcuntur: non enim illæ neceſſariæ ſunt,quemadmodum creaturæ poſſibiles: nam creaturæ exiſtentes in aliqua differentia temporis, cum habeant eſſe contingens, ita exiſtunt, vt poſsint non exiſtere; & ita decretum eſt a Deo illas exiſtere; vt potuerit decernere Deus, ne exiſterent.

Cum ergo eodem modo ſe res habeant ad eſſe, quemadmodum ad cognoſci; ſi habent eſſe contingens,contingens etiam erit ipſas cognoſci: & explicandum erit, quomodo illas cognoſcat Deus.

Ad quã difficultatẽ ſoluendam, Reſpondeo;

Dicendum primò; Res actu exiſtentes, ſi conſiderentur tantum vt aptæ coniungi cum exiſtentia, cognoſci a Deo cognitione illa, qua cognoſcuntur res poſſibiles; quam ſcientiam Theologi appellant, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; cuius obiectum ſunt creaturæ poſſibiles per diuinam eſſentiam repræſentatæ, modo ſupra explicato.

Probatur. Nam creaturæ, quæ ſunt habituræ exiſtentiam, ſi conſiderentur tantum, quatenus ſunt aptæ coniungi cum exiſtentia; licet ſimul eſſentia, & exiſtentia earum cogno-

QVÆRITVR SECVNDO AN, ET QVOMODO DEVS COGNOSCAT RES EXISTENTES IN QVACVNQVE DIFFERENTIA TEMPORIS.



Deo cognosci, & comprehendi suam substantiam, vti quæsito præcedenti diximus: ita certum est, quemadmodum certum est, Deum esse Deum, actum purum, per essentiā existentem, cuius esse est intelligere.

Difficultas maior est de creaturis existentibus, seu habituris existentiam in aliqua differentia tēporis, quomodo illas cognoscat Deus.

Nam creaturæ possibiles satis sufficienter, & necessariò repræsentantur per essentiam diuinam: quæ cum sit infinitis modis participabilis, & imitabilis a creaturis, quæ nunquam sufficienter, & adæquatè possunt exprimere, & adæquatè imitari diuinam essentiam; sequitur necessariò, posita diuina essentia, ac substantia, finitas in infinitum posse dari creaturas possibiles diuersi gradus, ac perfectionis essentialis, quæ imitentur, atque exprimant diuinam es-

ſcientiam; qua comprehenſa, neceſſe eſt eas creaturas, quas poſsibiles diximus, cognoſci. Quod non contingit in creaturis exiſtentibus in aliqua differentia temporis, quæ, diuina comprehenſa natura, non neceſſariò cognoſcuntur: non enim illæ neceſſariæ ſunt, quemadmodum creaturæ poſſibiles: nam creaturæ exiſtentes in aliqua differentia temporis, cum habeant eſſe contingens, ita exiſtunt, vt poſsint non exiſtere; & ita decretum eſt a Deo illas exiſtere; vt potuerit decernere Deus, ne exiſterent.

Cum ergo eodem modo ſe res habeant ad eſſe, quemadmodum ad cognoſci; ſi habent eſſe contingens, contingens etiam erit ipſas cognoſci: & explicandum erit, quomodo illas cognoſcat Deus.

Ad quã difficultatẽ ſoluendam, Reſpondeo;

Dicendum primò; Res actu exiſtentes, ſi conſiderentur tantum vt aptæ coniungi cum exiſtentia, cognoſci a Deo cognitione illa, qua cognoſcuntur res poſſibiles; quam ſcientiam Theologi appellant, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; cuius obiectum ſunt creaturæ poſſibiles per diuinam eſſentiam repræſentatæ, modo ſupra explicato.

Probatur. Nam creaturæ, quæ ſunt habituræ exiſtentiam, ſi conſiderentur tantum, quatenus ſunt aptæ coniungi cum exiſtentia; licet ſimul eſſentia, & exiſtentia earum cogno-

scatur, quatenus sunt aptæ coniungi inter se, ob id tamen non sunt extra numerum rerum possibilium, & non habent esse contingens, sed esse necessarium.

Quare, vt sic, cognoscentur eodem modo, & eadem cognitione, qua cognoscuntur res possibiles.

Dicendum secundò; si considerentur res existentes, quatenus habituræ sunt existẽtiam, vel futuræ sunt, vel actu existunt, cognosci a Deo etiam eadem cognitione, qua cognoscuntur res possibiles.

Probatur. Quia cognitio Dei, qui est ens per essentiam existens, est eius substantia: vti constat ex ijs, quæ dicta sunt; & habet Sanctus Thomas, prima part. quæst. 14.[a]

a artic. 4.

Sed eius substantia est vna, simplicissima, & indiuisissima.

Ergo & eius cognitio erit eodẽ modo vna, simplicissima, & indiuisissima.

Ergo quicquid cognoscit Deus, cognoscit eadem cognitione; nam cognoscit, quicquid cognoscit, cum sit ens per essentiam existens, non per aliquod accidens, sed per sui substantiam, quæ est & obiectum, & cognitio.

Quod verò etiam Deus cognoscat res futuras, & factas; est de fide. Nam, vt ait Moyses[b], Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.

b Genes. 1.

Sed,

Sed, quæ fecit Deus, sunt res de facto existentes, singulares, & indiuiduæ.

Ergo illas cognoscit Deus.

Sed, cum cognitio Dei sit eius essentia, quæ est maximè vna; non distincta cognitione cognoscet res existentes.

Ergo eadem cognitione, qua & se ipsum, & res poßibiles, cognoscet res in quacunque temporis differentia existentes.

Quod vlterius probatur, & explicatur.

Nam, cum Deus, ens per essentiam existēs, sit prima causa, a qua omnia dependent, reguntur, & gubernantur, & in suos fines diriguntur; necesse est ea cognosci a Deo: Nam a prima causa dirigente, ac regente omnia, necesse est perfectißimo modo dependere, quæcunque habent esse per participationem.

Sed perfectißimus modus est, si causa prima cognoscat.

Ergo cognoscit quicquid ab illa est, regitur, & gubernatur.

Nec vilescit, si hæc infima etiam cognoscat, cum non ab his rebus sumat Deus cognitionem: neque enim in se ipsis per proprias species a Deo cognoscuntur res ab ipso distinctę; sed in essentia sua, & in se ipso cognoscit ille, quicquid esse potest, aut erit, aut fuit, aut est, quacunque differentia temporis existens.

OBII-

OBIICIES I.

Videntur a Deo res creatæ propria cognitione, ex Sancto Thoma [a].

[a] p.q.14 art.6.

Ergo non videntur eadem cognitione, qua videtur diuina essentia. Nam cognitio, qua cognoscitur diuina essentia, non est propria cognitio creaturarum, sed diuinæ essentiæ. Quod si hac eadem cognitione videret Deus creaturas, non diceretur propria cognitio creaturarum, quę sunt obiectum secundarium: sed deberet dici tantum propria cognitio diuinæ essentiæ, quæ est obiectum primarium.

Si ergo Deus cognoscit propria cognitione res creatas; cognitio illa debet esse distincta a cognitione illa, qua Deus cognoscit sui essentiam.

Ergo non eadem cognitione, sed distincta cognoscit se ipsum Deus, & alia a se, quæ sunt tota collectio rerum creatarum, vel quæ produci possunt.

Respondetur. A Sancto Thoma ideo res creatas dicuntur videri propria cognitione: quia videntur res a Deo tam distinctè, clarè, in particulari, atque in indiuiduo, & non tantum in genere; vt perfectiori modo videantur, ac si haberet Deus de singulis distinctam cognitio-

tionem; quæ tamen in Deo distincta non est; sed est ita perfectè, atque etiam perfectiori modo repræsentatiua omnium rerum, ac si esset singularum propria.

Neque obstat, si dicas; communiter a Theologis saltem concedi in Deo duplicem cognitionem, vel scientiam: scientiam, scilicet, simplicis intelligentiæ, qua cognoscuntur res omnes posibiles; & scientiam visionis, qua cognoscuntur res habituræ existentiam in aliqua temporis differentia.

Respondetur enim; in Deo non distingui has duas scientias, sed esse vnam simplicissimam, & indiuisissimam; sicut est vna eius substantia, quæ est idem cum cognitione; sed distingui a nobis ratione nostri modi concipiẽdi, qui ratione diuersorum obiectorum, scientiam Dei, quatenus cognoscit res posibiles, appellamus scientiam simplicis intelligentiæ; & quatenus cognoscit res habituras existentiam in aliqua differentia temporis, appellamus eandem cognitionem, scientiam visionis; similitudine ducta ab oculo, qui res existentes, ac præsentes intuetur.

Quare, non re, sed ratione tantum cum fundamento distinguuntur hæ duæ cognitiones. Nam scientia Dei, quatenus habet pro obiecto res possibiles tantum, dicitur scientia simplicis intelligentiæ; quatenus vero habet pro ob-

iecto

iecto res existentes in aliqua differentia temporis, quæ Deo ab æterno semper fuerunt præsentes, dicitur scientia visionis.

Sed tamen re ipsa in Deo, qui est actus purus, per essentiam existens, est vna, & eadem cognitio, qua se ipsum, & res possibiles, atque existentes cognoscit; sicuti vna est eius substantia.

OBIICIES II.

NEcessarium, & contingens, distinguuntur plus quàm ratione.

Sed scientia Dei, qua se ipsum cognoscit, & creaturas possibiles, est necessaria: qua vero cognoscit res existentes, est contingens.

Ergo non est eadem scientia, qua Deus cognoscit se ipsum, res posibiles, & existentes.

Minor probatur: & cum certissimum sit, & ab omnibus concedatur, & dicatur cognitio Dei, qua se ipsum cognoscit, & creaturas possibiles, esse necessaria;

Solum remanet probãda altera pars minoris, vbi dicitur scientia, qua cognoscuntur res existentes, esse contingens; quod sic probatur. Nam quod ita est, vt potuerit non esse, est cõtingens. Sed cognitio rerum existentium ita est in Deo, vt potuerit non esse. Ergo est contingens.

Minor

Minor probatur. Nam, si Deus decreuisset ab æterno nullas producere creaturas, sicuti potuit (aliàs enim Deus esset causa necessaria); nullæ creaturæ fuissent habituræ existentiam. Ergo non illas cognouisset futuras, cum non fuissent futuræ. Ergo cognitio illa, qua Deus cognoscit res existentes; ita est, vt potuerit non esse.

Non eadem igitur cognitione cognoscit se ipsum, creaturas possibiles, & existentes.

Respondetur, negando minorem primi argumenti: nam non est minus necessaria cognitio, qua Deus cognoscit se ipsum, quàm illa, qua cognoscit res, non solum possibiles, sed etiam existentes; quia est ipsamet substãtia, & essentia Dei, qua nihil potest esse magis necessarium: cum sit per essentiam existẽs.

Quando vero probatur minor, & dicitur: scientia visionis, qua videntur creaturæ existentes in aliqua temporis differentia, ita est, vt potuerit non esse; negatur, si id cadat supra ipsam cognitionem: nam cognitio ipsa, vti dictum est, est ipsamet substantia Dei, quæ est maximè necessaria: quæ cognitio, quantum est ex se, & ex natura sua, repræsentat, vel est apta repræsentare quodcunque cognoscibile, seu intelligibile.

Quod si non existerent creaturæ, non repræsentaret illas diuina cognitio, nõ quidem

ob defectum, qui esset in ipsa cognitione, quæ est apta repræsentare, & de facto repræsentat, quicquid est, eo modo, quo est: sed hoc esset ex defectu rerum, quæ non existerent.

Sicut non esset defectus immensitatis, si Deus nullum produxisset corpus, cui coexisteret immensitate Deus, & per consequens nulli corpori coexisteret; sed esset ex defectu corporum, quæ non existerent.

Eodem modo per æternitatem Deus est aptus coexistere omni tempori, & in se ipso actu habet id, quo aptus est coexistere, & coexistit omni tempori, & cuilibet parti; tamen si nullum esset tempus, non coexisteret illi Deus: at id non oriretur ex aliquo defectu, qui esset in Deo, sed ex defectu temporis, quod non existeret.

Eodem modo proportionaliter, cognitio Dei est apta repræsentare creaturas existentes, & actu habet in se ipsa, quicquid est sufficiens ad repræsentandum, vti de facto repræsentat.

Quod si creaturæ non essent existentes, nō terminaretur ad illas, vt existentes, non ob aliquem sui defectum, sed ob defectum creaturarum, quæ non existerent.

Sicuti neque intelligeretur mutari Deus, si voluisset producere alias creaturas, quas non produxit: nam per eandem voluntatem, &

in-

intellectionem illas intelligeret, & vellet, qua intelligit, & vult res, quæ de facto existunt.

Sicut per immensitatem, qua Deus est præsens omnibus rebus, potest his rebus existentibus, & infinitis alijs esse præsens sine vlla sui mutatione: & si non hunc mundum, sed alium produxisset, per eandem immensitatem esset illi mundo, & non huic præsens.

Quod de intellectione magis adhuc videtur dici posse: Nam, vti dictum est, nihil est in rerum natura existens, quod si Deus non decreuisset etiam producere, non cognosceretur ab illo secundum essentiam, & existentiam, & omnem existendi modum. Nam cognoscens Deus sui essentiam, cognoscit omnes species rerum, atque indiuidua omnia, quæ sunt apta esse sub illis speciebus; nec tantum cognoscit illorum essentiam, sed & existentiam quoque; non quidem, quam de facto sint habitura illa indiuidua ante decretum diuinæ voluntatis; sed, quã possunt habere: quo decreto posito, statim futura sunt illa indiuidua, & cognoscuntur a Deo, vt habitura existentiam, eo quod, vt sic fiant præsentia diuino intellectui, qui posito suo decreto, videt illa futura suo loco, & tempore; quæ quando existunt, non solum vt futura, sed vt præsentia, & coexistentia actu æternitati per propriam existentiam, quam

actu habent, sine vlla sui mutatione cognoscit Deus, sed mutatis creaturis; quæ transierunt de non esse ad esse.

Per intellectionem ergo, qua Deus intelligit suam substantiam necessariò, & vt obiectũ primarium; intelligit etiam creaturas possibiles, & aptas habere existentiam cum omnibus suis modis, & proprietatibus, & accidentibus, quæ possunt habere, vt obiectum secũdarium, & in alio (scilicet in essentia diuina) distinctissimè cognitum. Per quam intellectionem etiam actu habet in se ipso Deus, vt sit aptus cognoscere, quicquid est habiturum existentiam, vel habet; sine vlla sui mutatione; ex eo tantum, quod res ipsa in aliqua temporis differentia ponatur existere: vti de facto ab æterno cognouit eadem cognitione creaturas futuras, quas decreuit producere, & per eandem cognitionem cognouisset alias distinctas ab his, si decreuisset illas producere; sicut per sui essentiam esset illis intimè pręsens, sine vlla sui mutatione, si illas produxisset.

QVAE-

QVAERITVR TERTIO AN DEVS COGNOSCAT FVTVRA CONTINGENTIA.



X ijs, quæ diximus quæſito ſuperiori, ſatis conſtat, à Deo ſaltem cognoſci omnes ſpecies, indiuidua, & accidentia ſubſtantiarum, quæ ſunt habitura exiſtentiam in aliqua temporis differentia, præſentis, ſcilicet, aut præteriti, aut futuri, & quæcunque cum illis habent neceſſariam connexionem; verbi gratia, poſtquam (ratione noſtri modi concipiendi) Deus decreuit producere hæc, quæ exiſtunt, corpora, ſtatim, ac ſimul cognouit habitura quantitatem, & qualitatem, operationes, & cætera accidentia, quæ illorum neceſſariò comitantur, vel ſequuntur naturam. Nam ſimul atque decreuit illis dare eſſe actu, decreuit etiam iuxta eorum naturæ exigentiam dare illis, quæcunque neceſſaria erant ad hoc, vt naturali modo exiſtere poſsét: homini, verbi gratia, decreuit dare, non ſolum corpus, & animam, quibus ſubſtantia hominis conſtituitur; ſed etiam decreuit dare omnia accidentia,

quibus

actu habent, sine vlla sui mutatione cognoscit Deus, sed mutatis creaturis, quæ transierunt de non esse ad esse.

Per intellectionem ergo, qua Deus intelligit suam substantiam necessariò, & vt obiectũ primarium; intelligit etiam creaturas possibiles, & aptas habere existentiam cum omnibus suis modis, & proprietatibus, & accidentibus, quæ possunt habere, vt obiectum secũdarium, & in alio (scilicet in essentia diuina) distinctissimè cognitum. Per quam intellectionem etiam actu habet in se ipso Deus, vt sit aptus cognoscere, quicquid est habiturum existentiam, vel habet; sine vlla sui mutatione; ex eo tantum, quod res ipsa in aliqua temporis differentia ponatur existere: vti de facto ab æterno cognouit eadem cognitione creaturas futuras, quas decreuit producere, & per eandem cognitionem cognouisset alias distinctas ab his, si decreuisset illas producere; sicut per sui essentiam esset illis intimè pręsens, sine vlla sui mutatione, si illas produxisset.

QVAE-

QVAERITVR TERTIO AN DEVS COGNOSCAT FVTVRA CONTINGENTIA.



EX ijs, quæ diximus quæſito ſuperiori, ſatis conſtat, à Deo ſaltem cognoſci omnes ſpecies, indiuidua, & accidentia ſubſtantiarum, quæ ſunt habitura exiſtentiam in aliqua temporis differentia, præſentis, ſcilicet, aut præteriti, aut futuri, & quæcunque cum illis habent neceſſariam connexionem; verbi gratia, poſtquam (ratione noſtri modi concipiendi) Deus decreuit producere hæc, quæ exiſtunt, corpora, ſtatim, ac ſimul cognouit habitura quantitatem, & qualitatem, operationes, & cætera accidentia, quæ illorum neceſſariò comitantur, vel ſequuntur naturam. Nam ſimul atque decreuit illis dare eſſe actu, decreuit etiam iuxta eorum naturæ exigentiam dare illis, quæcunque neceſſaria erant ad hoc, vt naturali modo exiſtere poſſet: homini, verbi gratia, decreuit dare, non ſolum corpus, & animam, quibus ſubſtantia hominis conſtituitur; ſed etiam decreuit dare omnia accidentia,

quibus

quibus tam ex parte corporis, quàm animæ indiget homo ad hoc, vt naturaliter exiſtere poſſit, & operari.

Et hæc omnia cognoſci a Deo, ex dictis certiſsimè conſtare videtur: &, quæ in contrarium adducuntur difficultates, ſatis ſolutæ videntur ea ratione, qua in hac rerum caligine a nobis ſolui, aut explicari poterant.

Maior difficultas eſt; An cognouerit Deus futura a libera hominum, & Angelorum voluntate.

Quæ difficultas vt ſoluatur;

Dicendum eſt, ab æterno cognita fuiſse a Deo, quæcunque erant liberè futura a quacunque creata voluntate.

Probatur. Nam Deus cum ſit ens per eſſentiam exiſtens, & prima rerum omnium cauſa, vti dictum eſt, neceſse eſt, vt omnia ab ipſo producantur; nihil enim eſt; aut eſse poteſt, quod ſit ens per participationem, quod non exiſtat dependenter ab eo, quod eſt per eſſentiam. Primum enim in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum[a].

a Ariſt.2.metaph. tex 4.

Sed omnes actus liberi, ſeu dependentes a voluntate creata ſunt per participationẽ entia.

Ergo neceſse eſt, vt ſint a Deo.

Sed nihil poteſt eſse a Deo, quod non intelligat, aut velit Deus.

Ergo neceſse eſt, ab eo omnes etiam actus

liberos,

liberos, & voluntarios pendere. Eſt enim contra rationem primæ cauſæ independenter operantis, non intelligere, quod operatur. Nam quod operando non intelligit, neceſſe eſt ab alio dirigi; quod repugnat primæ cauſæ, quæ cum ſit per eſſentiam exiſtens, omnia in ſuos fines dirigit: quod non contingeret, ſi non intelligeret. Quæ enim non intelligendo operantur, magis agũtur in finem, quã propter finem agant; vt alibi dictum eſt, dum explicaremus, quomodo eſſet Deus cauſa omnium efficiens, & finalis.

Omnia autem nuda, & aperta eſſe oculis Dei, ex ſcripturis ita certum eſt, quemadmodum quod eſt certiſſimum: vt patet ex ijs ſcripturis, quas capitis huius initio adduximus. Iob. 28. 1. Ion. 3. ad Hebr 4.

Quibus addimus illud Danielis [a]. Deus æterne, qui noſti omnia, antequam fiant. Et Eccleſiaſtici [b]. Domino Deo noſtro, antequam crearentur, nota ſunt omnia. a cap. 13. b cap. 23.

In ſpecie autem cognoſci a Deo ſecreta cordis, mentis, cogitationes, ac liberos voluntatis actus, apertè ſignificant ea [c]. Scio, quod non dimittet vos Rex Ægypti, niſi per manum validam [d]. Scio cogitationes eius, quæ facturus ſit hodie [e]. Intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti: & omnes vias meas præuidiſti. c Exo. 3. d Deut 31. e pſ. 138.

Præ-

Prætereà id euidenter deducitur ex eo, quod Deus duobus vltimis præceptis [a] concupiſcentias & nuptæ alterius, & rei alienæ prohibuerit. Non enim intelligi poteſt, quomodo Deus iudicaturus ſit internas hominũ cogitationes, & concupiſcentias, niſi illas nouerit.

[a] Exod. 20.

Dependenter autem ab alio, aut ex alterius reuelatione cognoſcere Deum, eſt contra rationem primi principij per eſſentiam exiſtentis, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ, ac ſapientiæ, & a quo omnis creati intellectus ſcientia, ſapientiaq; dependet: qui hominum, atque Angelorum mentes illuminat; in quibus nihil perfectionis eſt, quod non ſit a donante Deo; vel tanquam naturæ auctore, vel tanquam rerum omnium naturalium, ac ſupernaturalium prima efficiente cauſa.

Quæ ergo, & ratione dictante, & Deo per ſcripturas reuelante, certiſſima eſſe cognouimus, non ſunt in dubiũ reuocanda, ſi, quæ in contrarium adducuntur, difficultates, ſoluere minus apti eſſemus: ſed liberè fatendum eſt, plura, ac perfectiori modo poſſe a Deo fieri, quàm quæ a nobis cognoſcantur; & exclamandum potius; [b] Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia tua, Deus, & inueſtigabiles viæ tuæ.

[b] ad Rom. 11.

De quibus vijs, ac iudicijs, licet nitamur, ſol-

soluere rationes, &, quæ ab hominibus in contrarium adducuntur, difficultates; ne tamen a Maiestate opprimamur, imperfectum nostrum agnoscentes, humillimè cum gratiarum actione recipimus, quod, Deo reuelante, credimus; non præsumentes diuina iudicia comprehendere; sed sperantes Dei auxilio hominum cauillos, ac sophismata soluere; quibus solutis, cum tamen adhuc plura de Deo ignoremus, quàm sciamus; nihil est, quod superbiendo eleuemur; qui satis vberes gratias a Deo recipimus, si non modo ab eius Maiestate non obruamur, sed neque etiam hominum sophismatibus dementemur.

OBIICIES PRIMO CONTRA DICTA.

SI Deus cognosceret futura contingētia a creata voluntate liberè futura, illa essent necessaria; quæ si necessaria ponantur, omnis libertas creata destruitur: nihil enim creata voluntas, nisi necessitate, operaretur; quæ necessitas, cum libertati opponatur, eam destruit; ipsa verò libertas si auferatur, omnis actio nostra præmio, aut pœna digna non erit: in ijs enim, quæ natura, aut necessitate fiunt, nihil premij, nihil pœnæ meremur.

Quod si dicamus; Omnis nostra fides, ac spes, qua credimus, & speramus cum Apostolo[a], per bona opera supernaturalibus auxilijs facta reddendam nobis gloriam nostram, vti coronam iustitiæ, inanis esset.

a 2. ad Timoth. 4.

Nam, quemadmodum & gratis ad gloriam [b] electi sumus; sic nullis nostris præcedentibus meritis eadem nobis gloria donaretur.

b Rom 9 & 11. ad Ephes. 1. 1. Pet. 2.

Futura autem esse necessariò, quæ a Deo cognoscuntur, patet; nam aliàs in sui cognitione falli posset Deus, atque ita non esset summè verax; quod tamen ita absurdum est, vt non modo credere; verum etiam referre horreat animus.

Ergo, quod cognouit Deus, est necessariò futurum; quæ cognitio, cum sit æterna, & actum voluntatis antecedat; absolutam, & antecedentem ponit necessitatem. Non enim quod est æternum, est supposito illo, quod est in tempore; quia prius non est ex positione posterioris; neque enim supposito, quod Petrus, verbi gratia, in tempore currat, Deus cognoscit; sed antequam curreret, Deus cognouit. Ergo cognitio Dei antecedit liberum voluntatis actum.

Si ergo illa posita, ponitur necessariò futurus actus; ille erit necessarius, antequam sit;

Erit igitur necessarius necessitate antece-

denti,

denti, quæ tollit libertatem. Nam necessitas illa, quæ sequitur actum voluntatis, & est, illo supposito, non aufert libertatem: quando enim quis loquitur ex suppositione, quod loquatur, necessariò loquitur; & tamen liberè loquitur; si nihil est, quod, antequam quis loqueretur, cogeret, aut necessitatem antecedentem induceret ad loquendum.

Cum igitur scientia Dei antecedat actus liberos; si, illa posita, necessariò ponantur actus liberi; iam mutatur illorum natura, & fiunt ex liberis necessarij.

Respondetur; per scientiam Dei, qua futura cognoscuntur, non tolli libertatem: non enim ex eo, quod cognoscatur, quid aliquis facturus sit, ob id ipse non liberè facit: verbi gratia, si quis cognosceret Petrum lecturum antequam legeret, non ob id Petrus non liberè legeret: cognitio enim non est causa rerum, quæ cognoscuntur, sed potius res cognitæ sunt causa cognitionis; vt, in exemplo allato, non ideo verum est, Petrum lecturum, quia cognitus est lecturus: sed quia lecturus, vera est cognitio, qua cognoscitur lecturus.

Quare cum obiectum cognitionis, ratione saltem nostri modi concipiendi, sit prius cognitione; res futura est prius futura, quàm cognoscatur vt futura: & ideo diuina etiam sciētia non imponit necessitatem rebus.

 Nam,

Nam; verbi gratia, non ideò Iudas tradidit Christum, quia cognitus fuisset traditurus; sed potius, e contrario, ideo Christus Dominus cognouit se tradendum a Iuda, quia ipse Iudas erat traditurus.

Vnde si ex eo, quod aliquis operaturus sit, non tollitur libertas; neque ex eo, quod cognoscatur operaturus, ob id libertate priuabitur.

Vt igitur cognoscatur, an quis liberè operaturus sit; videndum est, an, quando operatur, liberè operetur. Quia veritas præsentis temporis ex Philosopho [a], mensura est futuri, & præteriti: ideo enim vera est propositio, Petrus cucurrit, quia verum fuit aliquando dicere, Petrus currit. Eodem modo, vera est ista propositio, Petrus curret; quia verum erit aliquando dicere, Petrus currit. Si ergo Petrus quando currit, liberè intelligatur currere, vel liberè currat; sicut verum est de præsenti dicere, Petrus liberè currit; ita fuit verum dicere de futuro, Petrus liberè curret.

a In lib. de Interpret. cap. 10.

Quare videndum restat, quando voluntas humana operatur, vtrum liberè, an necessariò operetur: tunc autem intelligitur liberè operari, quando ita operatur, vt antecedenti necessitate non sit determinata ad operandum.

Sed in operationibus procedentibus a voluntate, dum fiunt, nihil est, quod necessitate

ante-

antecedenti ipsam ita prædetermineт ad operandum, vt non possit non operari. Igitur liberè operatur. Ergo etiam antequam operaretur, erat liberè operatura.

Ergo, si cognoscebatur operatura, non aufertur eius libertas: quia liberè cognoscebatur operatura: vera enim cognitione res cognoscitur, sicuti est.

Voluntatem autem antecedenti necessitate non esse prædeterminatam ad operandum in operibus gratiæ, in quibus est maior difficultas; patet ex Concilio Tridentino[a], & ex ijs scripturæ locis, quæ ad id probandum ibidem afferuntur.

a sess 6. Zacchar. 1.

Quod si vlterius vrgendo dicas; scientia Dei, qua cognoscuntur res futuræ est causa rerum; qua posita, necesse est res poni.

Ergo scientia Dei erit causa etiam actus voluntatis; qua posita antecedenti necessitate, est futurus voluntatis actus, vel prædeterminata voluntas ad operandum.

Respondetur. Scientia Dei, qua cognoscitur res futura, vt iam futura, non est causa futurarum rerum, sed supponit futuras: ex eo enim, quod res est, vel non est, cognitio est vera vel falsa.

Quare si aliqua cognitione cognoscatur aliquid, vt iam futurum, illud supponitur futurum ante, ratione saltem nostri modi concipiendi,

piendi, atque intelligendi. Illa enim scientia etiam diuina, qua cognoscitur res iam futura de facto, est speculatiua; & per consequens nó est causa rerum, sed supponit illas.

At dices vlterius. Deus non solum habet scientiam speculatiuam rerum, sed etiam practicam, quam dicunt approbationis, quæ est causa rerum, & est antequam res sit futura: nam hæc scientia approbationis in Deo, ratione nostri modi concipiendi, est ante decretum diuinæ voluntatis, ante quod decretum non est aliquid futurum, sed post; cum nihil sit futurum, nisi dependenter a decreto diuinæ voluntatis, quo Deus vult aliquid fieri:

Si ergo decretum diuinæ voluntatis est causa, cur res sint futuræ, & est antequam res sit futura; etiam scientia approbationis, quæ est practica, &, ratione nostri modi concipiendi, antecedit decretum diuinæ voluntatis, erit causa rerum.

Respondetur, concedendo totum. Nam licet in Deo nihil sit prius, aut posterius; cum ex eo, quod sit actus purus per essentiam existens, quicquid est in Deo, sit Deus; Et ita cognitio vna in Deo non sit prior alia re ipsa: veruntamen vna cognitio in Deo est æquiualens pluribus, & illa eadem, quatenus concipitur a nobis antecedere decretum diuinæ voluntatis, preponens eidem voluntati approbandum,

quic-

quicquid ipsa voluntas decernit faciendum ; ista cognitio dicitur vt sic cognitio practica, & causa rerum. Et hæc eadem cognitio, si consideretur, quatenus per ipsam cognoscit Deus res futuras, supposito decreto diuinæ voluntatis, a quo res habent, vt sint futuræ, dicitur speculatiua, & non est causa rerum: & de hac dicitur: non ideo res est futura, quia cognoscatur futura; sed ideo cognoscitur futura, quia est iam futura. Et de hac locuti sumus, quando diximus; scientiam Dei non esse causam rerum; vt videre est in exemplis allatis.

Quod si vlterius vrgeas, & dicas; scientia approbationis, & decretum diuinæ voluntatis est causa, cur res sit futura, antequam res ipsa sit habitura existentiam, vel futura; & per consequens imponet necessitatem antecedentem futuris contingentibus a libera voluntate;

Respondetur; negando, scientiam approbationis, vel decretum diuinæ voluntatis, quamuis sit causa rerum, imponere necessitatem rebus futuris dependenter a libera voluntate. Nam Deus decreuit dare esse rebus contingentibus, iuxta earum naturæ exigentiam.[a] Attingit enim a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter Deus. a Sapien 8.

Quare si Deus, quando de facto concurrit cum voluntate creata, suo concursu, & auxilijs rebus contingentibus, vel actibus liberis neces-

sitatem

ſitatem antecedentem non imponit; neque ex eo, quod ſcientia approbauerit, & decreto ſuę diuinæ voluntatis ſtatuerit, rebus neceſſitatem impoſuit. Nam decreuit dare eſſe ab æterno eo modo, quo in tempore concurrit ad producendum res creatas: Concurrit autem cum voluntate creata, quando illa producit ſuos actus ita, vt non auferat libertatem. Ergo etiam quando decreuit concurrere, non abſtulit libertatem. Nam eo modo præſciuit, ac decreuit concurrere, quo modo concurrit. Sed concurrit ita ſuo concurſu, & auxilijs, vt non auferat libertatem, vt patet ex Concilio Tridentino[a], vbi aſſeritur, peccatores, qui per peccata a Deo auerſi erant, diſponi per excitantem, & adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, ita, vt eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, ſic diſponantur, vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens; quippe qui illam & abijcere poteſt.

a cap 5. ſeſſ. 6.

Ex quo loco patet, auxilijs, & concurſu Dei nihil poni in voluntate hominis, quod antecedenti neceſsitate ipſam prædeterminet ad operandum.

Si ergo, quando Deus ſuo concurſu, & auxilijs ad actus liberos, præſertim ſupernaturales

les concurrit, ita concurrit, vt integra, & illibata remaneat hominis libertas; neque etiam, quando ab æterno scientia approbauit, & voluntate decreuit, quicquam posuit, quod creatæ aduersaretur libertati.

Quod si dicatur de actibus supernaturalibus, quibus peccatores se ad Deum conuertunt; ad quos producendos non solum requiritur vniuersalis Dei concursus, sed requiruntur etiam supernaturalia auxilia, quibus & illuminetur intellectus, & inflammetur affectus; & qui sũt actus magis gratiæ, quàm naturæ: cum sine supernaturali auxilio Dei, illuminantis, & tangentis cor hominis, nihil posit, non modò operari, sed nec etiam dignè cogitare humana mens; iuxta illud Pauli [a]. Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: multo magis dicetur de alijs actibus naturalibus, ad quos producendos requiritur tantum vniuersalis, & communis concursus.

a ad Cori. cap. 3.

Cum ergo Deus, quando de facto concurrit ad humanos actus, non auferat libertatem, sed illam adiuuet: neque etiam, quando decreuit cum voluntate creata concurrere, aliquid posuit, quod illi aut aduersaretur, aut officeret: Nam & infinita sua scientia præcognouit, quid requireretur ad hoc, vt creata voluntas posset liberè operari, tam in actibus naturalibus, quam supernaturalibus; & iuxta creatæ

voluntatis naturam, & exigentiam, vti sciuit, ac potuit, sic etiam concurrere decreuit absque vllo libertatis creatæ detrimento.

Quod argumentum quanti faciendum sit, diligentius animaduertere incepi, dum Summus Pontifex VRBANVS VIII. (quem diu Deus Ecclesiæ suæ incolumem seruet) adhuc Cardinalis familiarem suum, non minus doctrina conspicuum, quàm religione laudabilem, admonuit, vt diligenter aduerteret; An sacris congruerent scripturis, quæ de motu terræ excogitauerat, ad saluanda ea omnia, quæ in cælo apparent phenomena, & quæcunque de cæli, atque astrorum motibus ex eorum diligenti inspectione, & consideratione communiter recipiunt Philosophi. Concessis enim omnibus, quæ Vir doctissimus excogitauerat; quæsiuit, An potuerit, & sciuerit Deus alio modo disponere, & mouere orbes, vel sidera ita, vt quæcunque vel in cælis apparent phenomena, vel de siderum motibus, ordine, situ, distantia, ac dispositione dicuntur, saluari possint.

Quod si neges, Sanctissimus dixit; probare debes implicare contradictionem, posse hæc aliter fieri, quàm excogitasti: Deus enim infinita sua potentia potest, quicquid non implicat contradictionem: cumq. Dei scientia non sit minor potentia; si potuisse Deum concedimus;

mus; & ſciuiſſe etiam affirmare debemus.

Quod ſi potuit, ac nouit Deus hæc alio modo diſponere, quàm excogitatum eſt, ita, vt ſaluentur omnia, quæ dicta ſunt: Non ad hunc modum debemus diuinam arctare potentiam, & ſcientiam.

Quibus auditis, quieuit vir ille doctiſſimus.

Ex quo & ingenij, & morum laudem retulit.

Sic ergo in caſu noſtro: quæro, an implicet contradictionem dari actus liberos. Si implicare dicatur; probari debet. Id verò ſi quis tentet, & indoctorum Hominum turbá, & Sapientum Senatum reclamantem audiet: atque ex ijs, quæ dicta ſunt apertè conſtat id rationi, ac ſacris eloquijs repugnare.

Si ergo dari poſſunt actus liberi; Deus per eſſentiam exiſtens (ſine vllo libertatis creatæ detrimento) neceſſariò cognouit, eos liberè fieri poſſe, & vt liberè fierent decernere potuit. Nam præcognouit Deus, & decreuit ita fieri, quemadmodum ſcit, & poteſt cum voluntate creata ſic concurrere, vt eius ſaluetur libertas.

Quod ſi aliquis dicat, facilius intelligi quomodo voluntas creata liberè eſſet operatura ſine Dei præſcientia, atque decreto.

Is certè libertatis, ſeu voluntatis creatæ deſtrueret rationem: quæ cum ſit per partici-

pationem; quemadmodum nec esse, nec intelligi perfectè potest absque eo, quod est per essentiam; sic nihil potest operari, ipso Deo, qui per essentiam existit, non approbante, atque operante. Qui cum in se ipso rerum omnium rationes, ac perfectiones eminenter contineat; non expectat tempus ad cognoscendum, aut decernendum, quod in tempore est facturus; sed ab æterno cognouit, & decreuit, quicquid in tempore aut se solo, aut cum natura creata (cui etiam facultatem operandi impertiri voluit) erat operaturus.

VViclefus reijcitur. Concil. general. et prouin. to. 3. pa. 2. pag. 839. in Conc. general. Constan. sess. 8. An. Domin. 1414.

Ex his cognoscere possumus, quantum a veritate aberrarit VViclefus, artic. 27. damnato in Concilio Constantiensi; qui asserebat, omnia euenire absoluta necessitate.

a Genes. 4. Eccl. 15. & 31. Matth. 23. Act. 7. cant. 2. 1. Thess. 5. b Matth. 10. 19. & 25. Ioan. 8. Rom. 12. Apoc. 3. Luc. 10.

Id enim repugnat [a] scripturis, quibus libertatis humanæ admonemur; Et [b], quibus ita a Deo aliquid præcipitur, vt retributio promittatur ijs, qui iuxta Dei præceptum, & vias ambulant, & pœna ijs, qui eius mandata non custodierint, nec leges obseruauerint.

Lutherus reijcitur. cap. 5. sess. 6. & can. 4. 5. & 6.

Error autem VViclesi iam damnatus, cum patronum Lutherum contra scripturas adinuenerit, iterum damnatus fuit in Concilio Tridentino.

OBIICIES II.

SI Deus cognoſceret futura contingentia; de illis eſſet determinata veritas.

Sed de futuris contingentibus non datur determinata veritas, communi Philoſophorum ſenſu.

Ergo Deus non cognoſcit futura contingentia.

Sequela maioris probatur. Nam cognitio Dei, cum ſit certa, & infallibilis; ſi Deus cognoſcat futurum contingens, illud erit determinatè verum. Si enim, verbi gratia, cognouit Deus, Petrum cras curſurum; illa propoſitio iam erit determinatè vera; aliàs Deus poſſet falli.

Reſpondetur; de futuris contingentibus non dari determinatam veritatem reſpectu noſtri, qui non neceſſariò cognoſcimus omne verum: quia non eſt aliquid, quod certò, & infallibiliter poſſit nos ducere in cognitionem futurorum contingentium; non enim in cauſa habent determinatam veritatem: quia cauſa libera ita operatur, vt poſſit non operari.

Igitur quantumuis perfectè cognoſcamus cauſam liberam; ex vi cognitionis cauſæ liberæ nunquam poſſumus cognoſcere, quid illa

certò,

certò, & determinatè factura ſit: quia poteſt non facere.

At vero reſpectu Dei, qui neceſſariò cognoſcit omne verum; eo ipſo, quod futurum contingens eſt futurũ; eo ipſo etiã illud certò, & infallibiliter cognoſcit Deus liberè futurũ.

Et ſicut ſua immenſitate neceſſariò coexiſtit Deus omnibus rebus exiſtentibus; ita ſua ſcientia cognoſcit neceſſariò, quicquid rationem cognoſcibilis habet: & ideo, dato, quòd res aliqua ſit futura, Deus illam cognoſcit determinatè, a libera hominis voluntate futuram, ſed liberè. Nam eo modo Deus cognoſcit res, quo ſunt. Sed non eſt aliquid antecedens actum voluntatis liberæ, ita determinans voluntatem, vt antecedenti neceſſitate illam prædeterminet ad operandum; vt dictum eſt ex Concilio Tridentino [a]; & ex ſcripturis ibidem adductis.

a ſeſſ.6.cap.5.

Ergo Deus non cognoſcit actus liberos futuros à voluntate, neceſſitate antecedenti prædeterminata ad operandum.

Hoc ergo modo Deus infallibiliter futura contingentia cognoſcit; & hoc modo non habent determinatam veritatem futura contingentia in cauſa, ſeu voluntate creata ex aliquo, quod ipſam prædeterminando, eidem antecedentem imponat neceſſitatem; vti ſupra explicatum eſt.

OBII-

OBIICIES III.

QVod Deus cognouit futurum, non poteſt non eſſe futurum.

Ergo neceſſariò erit futurum.

Reſpondetur; a Deo cognoſci neceſſariò res futuras eo modo, quo sũt futuræ. Quare, ſi illæ, vti ſupra probatum eſt, ſunt liberè futuræ; Deus neceſſariò cognoſcet illas liberè futuras.

Scientia ergo Dei non imponit neceſſitatem rebus; ſed poſitis rebus, neceſſe eſt illas a Deo cognoſci: quia nullum eſt verum, quod poſſit diuinam effugere cognitionem; ſicut nihil poteſt exiſtere abſque Dei præſentia, modo ſupra explicato [a]. a cap. 6.

OBIICIES IV.

POſita diuina ſcientia, poſſunt futura cõtingentia non eſſe. Nam ita ſunt a cauſa libera, vt poſſint non eſſe. Ponantur ergo non eſſe. In tali caſu poſſibili poſito in eſſe, nihil ſequitur abſurdi: atque ita nullum erit abſurdum, ſi ea, quæ cognita fuerunt a Deo futura, non ſint futura; & per conſequens poſſumus dicere, vel Deum non cognoſcere futura contingentia, vel ſcientiam

Dei

Dei non esse infallibilem: Quorum vtrumque absurdum est.

Respondetur. Quando Deus cognoscit aliqua futura, iam illa supponuntur futura; & ex suppositione, quod sint futura, sunt necessaria necessitate cõsequenti, & in sensu composito: quæ necessitas consequens, & in sensu composito, non tollit libertatem, sed est interdum etiam exercitium ipsius libertatis. Nam, verbi gratia, quando aliquis loquitur, supposito, quod loquatur, &, vti dicunt, in sensu composito, & necessitate consequenti ad ipsum actum, necessariò loquitur; & tamen liberè loquitur; quia nihil antecedens actum loquendi erat, quod ita prædeterminaret ad loquendum, vt cogeret loqui, aut loquendi imponeret necessitatem.

Quare, dato, quod aliquid sit futurum à voluntate liberè, illud est necessariò futurum; & non potest poni non futurum, non variata suppositione.

Implicat ergo contradictionem, si aliquid sit futurum, eo ipso, quod iam sit positum futurum in sensu composito, illud non esse futurum facta suppositione: Ergo facta suppositione, quod aliquid sit futurum, non potest poni non esse futurum, non variata suppositione.

Quod si, vti petitur in argumento, concedamus,

damus, illud, quod ponitur futurum, non esse futurum; cum simpliciter, & absolutè, nulla facta suppositione, seu in sensu diuiso, possit non esse; in tali casu, & variatur suppositio, & argumentamur a sensu composito ad sensum diuisum: & tunc, variata suppositione,

Respondemus quæsito, dicentes; In tali casu Deus non cognosceret futurum contingens; quia non esset futurum: At vero ista suppositio destrueret priorem suppositionem.

Et sicut, dato, quod existant hæc omnia corpora, quæ nunc existunt, necessarium est, Deum in illis esse per essentiam, præsentiam, & potentiam; quę tamen si non existant Deus illis non coexistet. Ita si res aliqua est futura, necessariò a Deo cognoscitur; si illa eadem ponatur non futura; cognita fuisset a Deo, vt possibilis tantum, & apta coniungi cum existentia; non autem vt futura, & coniungenda cum existentia.

Vides ergo ex dictis, quomodo sit soluendum sophisma, & vitanda fallacia.

EX DICTIS COLLIGITVR.

IN Deo non esse discursiuam cognitionem, sed intuitiuam. Nam cognitio discursiua non est ita vna, vt non supponat aliam. At vero cognitio Dei, qui est actus purus per

essentiam existens, sicut non est distincta a diuina substantia; sic non potest habere aliam cognitionem antecedentem, ex qua deducatur.

Ex quo vlterius sequitur, Deum non habere cognitionem vnius rei dependenter a cognitione alterius rei: nam vna, eademque cognitione cognoscit causam, & effectum, & quicquid cognoscibile, aut intelligibile est.

Quare etiam futura conditionata, quæ verè non sunt futura, sed fuissent futura, si aliquid positum fuisset, quod de facto non est positũ, eadem cognitione cognoscit Deus. Verbi gratia, cognoscit Deus, quid facturus fuisset Sanctus Petrus, si Romam non venisset. Nàm cum hoc etiam intelligibile sit, Dei cognitionem effugere non potest.

Et de facto in [a] scripturis enunciat Deus, quid facturi fuissent Tyrij, & Sidonij, si in illis factæ fuissent virtutes, quæ in Bethsaida, & Corozaim factæ fuerunt.

[a] Matth. cap. 11. Luc. 10.

Quæ scientia vtrum distinguatur a scientia simplicis intelligentiæ, necne; non admodum vtile existimo disputare; nam certissimum est, in Deo, qui est per essentiam existens, non esse distinctas scientias, sed vnam simplicem, & indiuisissimam, quæ est Dei substantia; quæ scientia dicitur visionis, quatenus terminatur ad res existentes in aliqua differentia temporis; Et simplicis intelligentiæ, quatenus terminatur

tur ad res poſsibiles, vti poſsibiles tantum.

Quod ſi eandem ſcientiam, quatenus terminatur ad res, quæ futuræ fuiſſent, poſita cõditione, quæ cùm poſita non ſit, nec ipſę etiam ſunt poſitæ, appellare velis, mediam; quæſtionem potius de nomine, quàm de re cenſerem.

Ab vno tamen abſtinere volo, ne plus ſapiam, quàm oportet ſapere.

An, & quomodo, hac ſcientia poſita, & ordo Diuinæ Prouidentię melius cognoſcatur, & noſtræ libertatis cum diuinis auxilijs concurſus explicetur.

Hoc vnum certò ſciens; Deum ſua ſapientia, & potentia melius cognouiſſe, potuiſſe, ac decreuiſſe concurrere cum voluntate creata ad producendum actus liberos, ſalua, & integra libertate, quàm a nobis poſsit explicari.

Et ideo ſat eſt, reſpondiſſe argumentis, quibus nituntur aduerſarij probare, ex diuina præſcientia, atque diuinæ voluntatis decreto auferri creatam libertatem.

Nam infinitis Deus ſuæ ſapientię, ac potentiæ theſauris, ſciuit, ac potuit decernere, & ab æterno concurrere decreuit cum cauſis liberis ita, vt integra, & illibata remaneret creata libertas; vt rationibus & auctoritate Conciliorum, atque Scripturarum probatum eſt.

CAPVT XI.

DE IDEIS.



EVM agere intelligendo, ex ijs, quæ capite superiori explicata sũt, satis constat.

Nunc agendum est de Ideis, quę sunt [a] forma, species, ac ratio rei faciendæ in mente artificis existens; de quibus.

a S. Aug. l. 83. quæstionum q. 46.

QVÆRITVR PRIMO AN DENTVR IDEÆ IN INTELLECTV DIVINO.



VÆSITO respondetur, dari Ideas in intellectu diuino.

Probatur. Quia, quod agit per intellectum, quod maximè conuenit primæ causæ per essentiam existenti, quæ non potest ab alia dirigi, aut depende-

pendere in operando; necesse est, vt in se habeat formam, siue exemplar rei faciendæ.

Deus autem est prima causa per essentiam existens.

Ergo necesse est, vt in se habeat formam, siue exemplar rei faciendæ; quod Ideam appellamus.

Idq. confirmatur ex Euangelio[a]; Quod factum est, in ipso vita erat. Quod de diuinis Ideis interpretatur Sanctus Augustinus[b].

a Ioan. 1.

b Tract. 1 in Io.

QVÆRITVR SECVNDO QVARVM RERVM IN DEO SINT IDEÆ.



RESPONDETVR, esse Ideas, non solum rerum futurarum, sed etiam possibilium.

Probatur. Nam, si Deus vellet, aut voluisset producere, sicut potuit, res, quas non produxit, nec producet; procul dubio in eo fuissent rationes, species, & exemplaria illarum.

Ergo, & nunc habet, & ab æterno habuit illarum exemplaria, formas, & Ideas. Aliter, per essentiam existens Deus, intelligeretur

posse mutari, si non habuisset ab æterno in mente sua formas, & exemplaria omnium rerum.

Præexistunt ergo in mente diuina ab æterno, non solum rerum producendarum, sed & potentium produci, exemplaria, formæ, species, seu ideæ. De quibus,

QVAERITVR TERTIO QVID IN DEO SINT IDEÆ.



RESPONDETVR. Ideæ sunt essentia Dei, quatenus est diuersis, atque infinitis modis imitabilis, & participabilis a creaturis, & vt talis ab intellectu diuino cognita.

a l.83 qq q.46.
b Aristo. 2. phys. t. 28

Probatur. Nam, ex Sancto Augustino[a], & ex Philosopho,[b] Ideę pertinent ad speciem, naturam, & quidditatem rerum, cum reducantur ad genus causę formalis, quod est, quod quid erat, idest essentia cuiusque rei.

Nihil autem melius asignari potest in Deo, quod sit ratio quidditatis, & essentiæ cuiusque rei, quàm essentia diuina, modo supra explicato.

Ergo

Ergo essentia diuina, vt imitabilis, ac participabilis a creaturis, & vt talis cognita ab intellectu diuino; erit Idea.

Hinc intelligitur id, quod capite primo diximus, explicantes varios modos, quibus id, quod factum est, dicatur [a] in Deo vita esse, vel fuisse.

a Ioan. 1.

Inter cæteros enim diximus; Essentiam Dei, quæ est exemplaris causa, & idea omnium rerum, esse vitam formaliter, & res factas dici in Deo vitam causaliter, quatenus earum exẽplaris causa, quæ est essentia diuina, est formaliter vita.

His etiam cõgruit, quod docet Apostolus [b]; quomodo, scilicet, ex inuisibilibus visibilia fiant.

b ad Hebr. 11.

Nam visibilia fiunt dependenter ab essentia Dei, non solum tanquam ab efficienti causa, sed etiam tanquam ab exemplari, quæ est essentia diuina, quatenus imitabilis, ac participabilis a creaturis, & vt talis cognita ab intellectu diuino: quæ, vt sic, est illarum formalis, sed extrinseca causa.

Vt etiam egregiè ostendit Sanct. Thomas [c] in hunc locum Apostoli; adducẽs illud Boetij; [d]

Pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq. in imagine formans:

c Lect. 2. in ep. ad Hebr. 11.
d L. 3. de cons. Metro. 9.

OBIICIES I.

QVod pertinet ad essentiam cuiusque rei, ita, vt dicatur illius quidditas, species, forma, & ratio; debet esse in re ipsa, cuius est species, ratio, & forma: nihil est enim tam intimum cuique rei, quam ipsius essentia, quæ in quidditate, ratione, forma, ac specie consistit.

Sed essentia Dei non potest esse cuiusquam rei constitutiua forma: tum quia in compositionem venire non potest, vt docet S.Thomas [a], tum etiam, quia, quorum forma, & species Deus est, vel diuina essentia; videntur Deus esse.

a p.p.q.3.

Respondetur. Quod est forma, ratio, & quidditas, vt exemplar, & Idea; est extra rem ipsam, nec ingreditur compositionem rei, aut illam constituit intrinsece: sed ab Idea, & exemplari extrinsecè, &, vt loquuntur, terminatiuè, sumitur species, & quidditas rei, quæ ab exemplari dependet: sicuti scientiæ ab obiecto sumunt speciem, & differentiam; ita tamen, vt obiectum non sit intrinseca pars sciétię, aut tota essentia; sed terminus, a quo essentialiter dependet ipsa scientia.

Eodem modo motus, ex Philosopho [b], dicitur sumere speciem, & differentiam a termino: cum

b Arist 5.phys. &

cum tamen terminus sit extrinsecus motui; præsertim locali: quia locus sursum, aut deorsum, qui sunt termini, a quibus sumitur differentia inter ascensum, & descensum; non sunt in re ipsa, quæ mouetur, sed extra. Quare non potest terminus esse tota intrinseca essentia, & species motus, qui est in mobili; nec etiam esse potest ipsius motus pars constitutiua, cum a mobili, in quo est motus, sit diuisus, ac separatus locus: vt tota Philosophorum schola recipit, & probat.

Igitur ex eo, quod essẽtia Dei sit quod quíd erat esse cuiusque rei, vti exemplar, species, ac forma extrinseca; non valet argumentari, ipsam Dei essentiam ita pertinere ad essentiam rerum creatarum, vt illas intrinsecè constituat, & faciat esse Deum, aut veniat in illarum cõpositionem: quod conuenit tantum formæ intrinsecę, qualis non est exemplar, quod est species, seu forma, non in re, cuius est exemplaris causa, existens, sed in mente artificis. Non enim idea, quam de opere faciendo habet artifex, est in opere ipso, sed in mente artificis; quam etiam quidam dicunt, (nec absque ratione) esse cognitionem rei faciendæ.

Sed mihi facilius videntur explicari Ideæ in Deo, si dicantur esse ipsa essentia Dei, quatenus diuersis, atque infinitis modis est participabilis, & imitabilis a creaturis, ad quam res-

piciens Deus, summa cum ratione operatur omnia, vel aptus est operari.

Ita enim si explicentur Ideæ, melius intelligitur, quomodo cuiusque rei creatæ essentia, quæ per participationem est, dependeat essentialiter a Deo; qui cum sit per essentiam existens, ab eo res creatæ essentialem gradum, & essentiæ modum recipiunt; scilicet existētiam, & quicquid cum essentia, vel existentia necessariò coniungitur.

Quamobrem & esse, non modò actuale a Deo recipiunt, sed etiam possibile. Non enim aliquid esset possibile esse in specie vlla rerum creatarum, nisi essentia diuina esset tali modo imitabilis, ac participabilis a creaturis; verbi gratia, non esset possibilis homo, nisi essentia diuina esset ita participabilis, atque imitabilis, vt aliqua ratione, quamuis imperfectè, posset exprimi ab animali rationis capaci. Et sic discurrendo per singulas species rerum creatarum, vnaquæque habet esse ab essentia diuina, quatenus est tali modo imitabilis, & participabilis a creatura.

Et hac ratione si explicentur ideæ; melius etiam saluatur, quomodo pertineant ad genus causæ formalis rerum creatarum, non solum quatenus sunt habituræ existentiam, sed etiam quatenus habent esse possibile, & conceptibile tantum. Nam non essent res aut possibiles,

aut

aut conceptibiles talibus conceptibus; nisi essentia diuina esset tali modo imitabilis, ac participabilis a creaturis, quarum vnaquæque est apta exprimere essentiam diuinam iuxta suæ perfectionis gradum, qualitatem, ac modum, perfectius, aut imperfectius, iuxta cuiusque rei creatæ modum; siue sit essentiæ diuinæ vestigium; siue imago. Nam, [a] quæ ratione carent, sunt diuinæ substantiæ vestigium; cum sint imperfecta similitudo: quæ vero sunt rationis participes, dicuntur Dei imago; quia perfectiori modo Deo similes, expressius diuinum repræsentant esse, etsi non adæquatè: cum nulla detur creatura, vel actu, vel potentia, quæ possit adæquatè diuinam exprimere essentiam, & qua non possit dari alia perfectior.

a S.Tho.p.p. q 45. art.7. & q.93 art. 1.& 2.

Et hoc modo etiam, melius intelligitur illud Ioannis [b]. Quod factum est, in ipso (scilicet Deo) vita erat. Nam essentia diuina est vita, in qua tanquam in exemplari causa præexistunt creaturæ, non secũdum esse proprium, sed secundum esse causæ, quæ est essentia Dei; per cuius participationem omnia sunt, quæ extra Deum vel sunt, vel esse possunt; non quia partem substantiæ diuinæ, quæ est [c] indiuisibilis recipiant a Deo res creatæ, aut totam substantiam: quia essent Deus, sicut Filius, & Spiritus Sanctus, qui inter se, & Patri [d] consub-

b cap. 1.

c conc. Later sub Innoc.III. cap. firmiter, de sum.Tri. & fid.cath.

d conc. Nicæn.

ſtantiales ſunt: ſed quia exiſtit eſſentia diuina, quę vt imitabilis, & participabilis vti exemplar; & idea eſt cauſa, cur poſsint concipi res creatæ vero conceptu, nec implicet contradictionem, eſſe aliquid diſtinctum a Deo, & extra Deum: qui cum per eſſentiam exiſtat, de non eſſe ad eſſe creaturas producendo transferre poteſt; atque ita illis communicare exiſtentiam, & eſſe ſimpliciter abſque vllo ſubſtantię propriæ decremento. Ex eo enim, quod cauſa det eſſe effectui vel vt exemplar, vel vt efficiens; non neceſſario propriæ ſubſtantiæ partem, aut totam illi communicat; niſi per veram, & propriè ſumptam generationem communicet illi eſſe: ſecundum quem modum propriè creaturæ non procedunt a Deo: Et ideo ipſæ formaliter in Deo non ſunt vita, ſed cauſaliter: quia earum exemplaris cauſa, quæ eſt eſſentia Dei, eſt vita.

OBIICIES II.

IDea eſt forma rei faciendæ in mente artificis exiſtens: res autem, quo ad eſſe eſſentiæ, aut poſsibile tantum non ſunt faciendæ. Sed res faciendæ ſunt illæ, quæ habituræ ſunt exiſtentiam: non enim accipiunt res ab artifice eſſentiam, vel eſſe poſsibile; ſed exiſtentiam.

Non debet igitur Idea poni in Deo ad hoc, vt explicetur, quomodo etiam res creatæ, secundum esse possibile, & essentiam tantum, recipiant esse. Quis enim vnquam dixit, artificem ad hoc tantum efformare rerum Ideas, & exemplaria, vt possint res illæ esse; non autem ad hoc, vt actu det illis esse? Nemo certè. Non enim efformat, verbi gratia, Architectus modulum alicuius palatij, vt habeat esse possibile tantum; sed, vt suis temporibus, & locis fiat.

Melius ergo pro exemplari causa, etiam in Deo posita fuisset, vel cognitio rei faciendæ, vel aliquid aliud, per quod explicaretur, quomodo a Deo tanquam a primo, & supremo artifice, & opifice rerum omnium, res haberent esse actu, & existentiam; non autem esse possibile, & essentiam tantum: quod esse possibile, & quantum ad essentiam tantũ absque existentia in re ipsa, aut nihil est, aut per denominationem solum extrinsecam a causa, a qua potest esse, vel cuius est apta esse imperfecta, & inadæquata expressio, imitatio, vel etiam similitudo.

Respondetur, in artifice creato aptissimè poni pro Idea formam rei faciendæ in mente eiusdem artificis existentem, non autem formam rei, secundum quã res ab artifice creato habeant esse essentiæ, & possibile tantum.

Quia

Quia ab artifice creato res habent exiſtentiá, non autem eſſentiam: quinimo neque etiam quoad ſubſtantiam rei artificiatæ res ab artifice ſuſcipiunt exiſtentiam: ſed accipiunt tãtum ordinem, modum, diſpoſitionem, & figuram. Non enim, verbi gratia, ab artifice palatium, aut minimam ſuæ exiſtentiæ particulam, aut ſubſtantiæ partem ſuſcepit; ſed tantummodo illum ordinem, ac diſpoſitioné partium, ex qua ſequitur palatij exterior forma, & figura; ſecundum quam tantum artificis idea eſt exemplar, forma, & ſpecies extrinſeca rei faciendæ in mente artificis exiſtens; & ita, vt idem palatium, verbi gratia, poſſit eſſe a pluribus artificibus habentibus eandem ideam, & operandi artem; vt per ſe patet.

At vero Deus, qui eſt ita per eſſentiam exiſtens, vt ſit origo, radix, & fons totius eſſe; eſt ita cauſa omnium rerum, vt nihil ſit in re creata conſiderare, quod non ſit dependens a Deo, & quoad eſſentiam, & quoad exiſtentiam, & quoad omnem exiſtendi modum.

Et ideo in Deo pro Idea eſt ponédũ aliquid, a quo res ſumant naturam, & ſpeciem, non ſolum quoad exiſtendi modum, ſed etiam quoad exiſtentiam, ſubſtantiam, eſſentiam, non tantum ſecundum rem, ſed etiam ſecundum conceptum. Nihil autem eſt, quod

melius

melius (ratione nostri modi concipiendi) in Deo præstare id possit, quàm essentia Dei, vt est diuerso modo imitabilis, & participabilis a creaturis; quas si nolit Deus producere, habet Ideam, quæ est perfectissimo modo repræsentatiua intellectui diuino rei, quæ potest fieri; & rei faciendæ etiam repræsentatiua, quando Deus iam decreuit dare existentiam his, vel illis rebus. Hoc enim modo si diuinæ explicentur Ideæ; & totum id, quod de Ideis creatorum artificum dicitur, commodè explicatur; & satis bene intelligimus, quomodo essentia Dei sit omnium rerum creatarum exemplaris causa, quoad essentiam, & existentiam, & omnem existendi modum.

OBIICIES III.

IN Deo vniuscuiusque rei debet esse propria Idea.

At vero essentia Dei, quæ est maximè vna, difficilè videtur posse intelligi, quomodo sit vniuscuiusque rei propria Idea.

Ergo essentia Dei non est dicenda Idea: etiam vt est diuersis modis imitabilis, ac participabilis a creaturis, & vt talis etiam cognita ab intellectu diuino.

Respondetur. Essentia Dei, quatenus est tali modo participabilis, atque imitabilis, est

Ideâ huius, vel illius rei creatæ; & essentia Dei ita est repræsentatiua omnium creaturarum, & singularum, ac si vnius tantum esset repræsentatiua; quinimo etiam infinitè perfectius repræsentat: sicut eius cognitio ita est omnium rerum expressiua, ac si esset singularum rerum propria. Et ob id ab Angelico Doctore [a] dicitur singularum rerum esse propria cognitio in Deo: quia cognitio Dei est singularum rerũ perfectissimo modo repræsentatiua. Neque est multiplex Dei cognitio, sicut nec etiam essentia Dei, quæ est idem cum cognitione: quæ enim formaliter sunt in Deo, cum sint actus purus per essentiam existens; sunt Deus ipse.

a p.p.q.14.art.6.

Qui, vt est tali, vel tali modo participabilis, & imitabilis a creaturis, est Idea harum, vel illarum rerum: quæ res cum sint distinctæ, etiam Ideæ rerum, quatenus repræsentant hanc, vel illam rem, ratione nostri modi concipiendi, vt distinctæ concipiuntur.



CAPVT

CAPVT XII.

DE VERITATE.



AD perfectam cognitionem earum rerũ, quæ dictæ sunt de cognitione, qua Deus cognoscit, & intuetur omnia; necesse erat agere de Ideis, secundum quas ita res existunt in mente primi artificis, vt ab illo secundum omne esse, modo supra explicato dependeant: quod capite superiori præstitimus.

Nunc de Veritate, qua Deus in omni sua cognitione tam practica, quàm speculatiua verus est, agendum erit; vt, quantum fieri potest, quæ de diuina cognitione dicuntur, intelligamus.

Animaduertendum autem est, ex Sancto Thoma [a], veritatem & in intellectu intelligente reperiri, & in re ipsa intellecta, secundum quam rationem duplex ponitur veritas; formalis vna, quæ est in intellectu intelligente, quando ita cognoscit res, quemadmodum

a p.p.q.16.art. 1.

sunt in seipsis: obiectiua altera in re ipsa, quæ cognoscitur, quatenus intelligibilis est vero conceptu, & apta est esse terminus veræ cognitionis.

Et quoniam vnumquodque magis propriè, & prius dicitur de eo, quod est formaliter tale, quàm de eo, quod est aut causaliter, aut alio modo tale: verbi gratia, esse sanum, magis propriè, & prius dicitur de homine sano, quàm de ijs, quæ sunt causa sanitatis, vt medicina, & alijs: Ita & veritas prius dicitur de intellectu, qui est formaliter verus, quàm de re intellecta, quæ est causaliter, & obiectiuè tantum vera.

Ex quo habes, denominationem, & formam veri prius reperiri in cognitione, quàm in re cognita, licet res cognita sit obiectum cognitionis, & causa veritatis formalis. Ex eo enim, quod res est, aut non est, intellectus est verus, vel falsus.

Et in Deo perfectissimo modo reperiri vtramque veritatem, tam formalem, quàm obiectiuam; patet: quia, cum sit ens per essentiam existens, & actus purus; est maximè intelligibilis, & verus veritate obiectiua, quæ sequitur esse vniuscuiusque rei.

Quinimo ex eo, quod Deus sit ens per essentiã, & omnia alia sint dependenter a Deo; sequitur, omnia esse vera dependenter a veritate

tate

tate diuina. Et sic diuina veritas est causa omnis veritatis: sicut eius esse est causa, cur sint, vel esse possint quæcunque sunt, vel esse possunt.

Esse autem in Deo veritatem formalem, qua per intellectionem suam intelligit omnia, quemadmodum sunt; satis constat ex ijs, quæ superioribus capitibus dicta sunt.

Cum enim cognitio Dei sit eius essentia; sicut Deo conuenit perfectissimo modo esse; ita & perfectissimo modo intelligere: quod absque summa veritate esse non potest.

Quæ etiam de Deo abstractè sumpta prædicatur: dicit enim de se Christus.[a] Ego sum via, veritas, & vita. a Ioan. 14.

Veritatem autem esse, conuenire Christo Domino, quatenus est Deus, nulla potest esse difficultas: cum solus Deus sit per essentiā verus, & veritas; siue loquamur de veritate formali, siue de obiectiua; quarum vtraque in Deo, cum sit per essentiam existens, est Deus ipse, continens in se rerum omnium perfectiones perfectissimo modo; atque ita sine distinctione, & multiplicitate. Et per consequens est vna, & eadem in Deo veritas formalis, & obiectiua; quæ est causa, fons, & radix omnis participatæ veritatis. s. Leo epist. 93. decretal. cap. 5.

CAPVT XIII.

DE VITA DEI.

ICET viuere vniuersalius prædicatum ſit, quàm intelligere; prius tamen de intellectu, ac diuina ſcientia actum eſt, quàm de ipſa vita in genere; tum quia nulla alia vita viuit Deus, quàm intellectiua, quæ eſt perfectiſsima, in ſuo conceptu nullam inuoluens imperfectionem, ſicut imperfectionem inuoluit ſentiens, ac vegetans vita, quæ ſine corpore eſſe non poteſt, quod repugnat Deo per eſſentiam exiſtenti, vti probatum eſt [a], cum aſſeruimus a Deo remouendum eſſe, quicquid ſecum imperfectionem affert; tum etiam quia, cum viuere, & vita quatenus de Deo, & creaturis dicitur, ſit analogum prædicatum imperfectè præſcindens ab analogatis; non perfectè cognoſcitur, niſi cognitis inferioribus analogatis, & præſertim principali analogato, per attributionem ad quod, & dependenter a quo ſunt ſecundaria analogata.

a cap. 2. quæſ. 1. & ſeqq.

Cum ergò viuere principaliter dicatur de vita intellectiua, quæ est Dei essentia, in suo conceptu inuoluens existentiam; cognito modo, quo Deus intelligit, & viuit, non solum cognoscitur Dei vita, quæ est inter viuentia principale analogatum; sed paratur etiam nobis via ad cognoscendum vitam creatorum viuentium, quæ per participationem est vita. Cognita enim causa, disponitur intellectus ad perfectè cognoscendos effectus.

Quamobrem ex eo, quod intelligatur, quò modo Deus viuit, & intelligit; non solum intelligitur Dei vita, quæ est per essentiam, sed etiam omnium viuentium creatorum vita, quę est per participationem, & dependenter vita.

Rectè igitur cum Sancto Thoma prius actũ est de scientia, quæ Dei est intellectio, & vita, quàm de vita in communi, ob rationes immediatè antea adductas.

Neque hoc alienum est ab eo, quod Philosophus habet in Metaphysicis [a]; vbi ex eo, quod Deus intelligat perfectissimo modo, deduxit Deum viuere perfectissima vita: quia intellectus eius est perfectissimus, & semper in actu; & ita, vt etiam substantia eius actio sit. a lib. 12. tex. 51.

Quare cum eius substantia actio sit, a nullo extrinseco principio moueri potest: & per cõsequens non indiget ab alio moueri, & ab extrinseco; sicut ea, quæ vita carent. Cuius enim

ſubſtantia actio eſt, non modo non poteſt ab alio moueri, ſed nec etiam moueri: cum ſemper ſit perfectiſsimo modo in actu; quod repugnat ei, quod habet motum. Motus enim eſt actus imperfecti, quo mobile acquirit terminum, qui eſt eius perfectio; vt habemus ex Philoſopho [a]: & diſcurrendo per omnes motus, patet, per motum ſemper acquiri perfectionem, vel terminum, quo caret mobile: Nam per augmentationem, quod augetur, acquirit maiorem quantitatem; ſicut per alterationem, qualitatem, & ſic de cæteris.

a l. 3. phyſ. & alibi ſæpe.

Deus autem per eſſentiam exiſtens, cum ei nihil deeſſe poſsit, [b] carebit omni mutatione, motu, ac viciſſitudine, vt ſupra dictum eſt.

b pſalm. 101. Iacob. 1. s. Aug. enarrat. in pſalm. 89. lib. 13. confeſſ. cap. 16. s. Greg. Naz. Iambic. 34. aduerſus iram.

Et ideo vita Dei, tam in actu primo, quã in actu ſecundo, eſt eius ſubſtãtia. Nã vita in Deo, quatenus eſt actus primus, non diſtinguitur ab actu ſecundo, & vitali actione: quod non accidit in alijs rebus viuentibus: in quibus, licet viuere ſit eſſe; tamen viuere accipitur pro anima, quæ eſt id, quo viuunt, ſentiunt, mouentur, & intelligũt viuentia; ita, vt anima ſit principium harum operationum, quæ ipſæ etiã operationes vitales, vita dicuntur; non ita tamen, vt ipſæ ſint eſſe, & ſubſtantia viuentium. Operationes enim, vt ſentire, moueri, intelligere, ſunt viuentibus accidentia, quæ Deo repugnãt; vti [c] de Simplicitate Dei explicatũ eſt.

c cap. 2.

Ex

Ex toto ergo discursu colligitur, Deum perfectissima viuere vita; quæ est intellectiua tantum, & ita, vt eius vitalis actio sit eius substantia, atque essentia, quæ est actus purus per essentiam existens; cuius vita, cum sit intellectiua tantum: perfectè cognoscetur, explicatis ijs, quæ ad intellectum, ac voluntatem pertinent.

Cum ergo superioribus capitibus de scientia Dei actum sit; de Voluntate agendum est, vt integrè, & quatenus in hac vita homini licet, vita Dei cognoscatur; quæ est eius operatio, quæ idem est cum operandi potentia, & Dei substantia, & essentia: cum actiones ad intra sint per essentiam existentes, & Deus ipse. Qui cum sit maximè vnus, eius etiam actiones absolutę ad intra erunt maximè vnum, & distinctæ tantum ratione nostri modi concipiendi, qui distinctis, sed inadæquatis conceptibus concipimus, quod est in Deo maximè vnum; vt videre est ex ijs, quæ dicta sunt cap. 2. huius tractatus initio.



CAPVT

CAPVT XIIII.

DE VOLVNTATE DEI.

DEVM, qui eſt actus purus, per eſſentiam exiſtens, viuere vita perfectiſsima, qua intelligit omne verum, & vult omne bonum; & natura cogente Philoſophi aſſeruere, & Deo reuelante, per ſcripturas nobis innotuit.

a pſal. 113. [a] Omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra.

b sap. 11. [b] Et quomodo poſſet aliquid permanere, niſi Deus voluiſſet?

c ad Epheſ. 1. [c] Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

Cum ergo in genere multa de ijs, quæ ad diuinum intellectum cognoſcendum pertinent, præcedentibus capitibus ſint explicata;

Nunc agendum eſt de diuina Voluntate, de qua



QVAE-

QVÆRITVR PRIMO QVÆ, ET QVOMODO VELIT DEVS EA, QVÆ VVLT.



RESPONDEO; dicendum primo. Deus se ipsum vult, & amat necessariò.

Probatur. Nam summum bonum clarè visum, & intellectum, non potest non amari.

Sed Deus, cum sit ens per essentiam existés, est summum bonum, semper necessariò se ipsum intelligens.

Ergo & necessariò se ipsum volens, & amans.

Et quemadmodum intellectio Dei est Deus ipse; sic & voluntas, & voluntatis actus, quo Deus se ipsum vti summum bonum vult, & diligit; erit ipse Deus.

Quare non minus necessarium est, Deum esse, quàm Deum velle, & amare se ipsum, & in se ipso, tanquam in supremo bono, quod est voluntatis obiectum, quiescere.

Dicendum secundò. Deus vult etiam necessariò creaturas omnes a se fieri posse.

Probatur. Nam, cum Deus sit per essentiam existens; necessariò sequitur diuinam essentiam esse infinitis modis participabilem, atque imitabilem a creaturis. Ex quo item necessariò sequitur, finitas in infinitum maioris, ac maioris perfectionis fieri posse creaturas a Deo.

Si ergo (vti probatum est) necessariò se ipsum amat; & vult Deus, vt obiectum primarium; necessariò etiam vult suā essentiam communicabilem, participabilem, atque imitabilem: quod fieri non potest, nisi velit etiam, creaturas esse posibiles.

Necessariò ergo & illas vult, qua ratione habent necessariam connexionem cum diuina essentia.

Dicendum tertiò. Deus absolutè non vult necessariò, alia a se existere.

Responsio est certa de fide.

a Eccl.39. Nam de Deo dicitur[a]. Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, scilicet, sapientem.

Et, omnia operari Deum secundum consilium voluntatis suæ, docet Apostolus[b]. His consentit illud ad Romanos[c]. Vt secundum electionem propositum Dei maneret.

b ad Ephes.1.
c cap. 9.

Vnde euidenter deducitur, ea bona, quæ voluntatis suæ decreto proponit firmiter, & immutabiliter Deus impertiri creaturis, esse a

Deo

Deo ſponte eligente, ac liberè dante, iuxta æternum voluntatis ſuæ decretum, atque conſilium, ſeu propoſitum firmiter ex electione Dei manens.

Quod non eſſet, ſi neceſsitate, & non liberè decerneret communicare, quæ creaturis bona impertit idem Deus.

Quod enim neceſſitate fit, non fit ex electione: nec eſt conſilium, aut electio de iјs rebus, quæ neceſſariò fiunt; vt Philoſophorum omnium conſtans eſt ſententia; & præclarè etiàm explicat Cicero in libro de fato:

Probatur. Nam Deus eo modo vult res eſſe, quo modo ſunt, & earum natura exigit.

Sed nihil eſt extra Deum, quod neceſſariò exiſtat abſoluta, & independenti neceſſitate.

Ergo nihil eſt extra Deum exiſtens, quod neceſſariò velit Deus exiſtere: cum nihil ſit, quod comparatum Deo, nō [a] contingenter exiſtat, & poſsit non exiſtere; vt capite primo fuſius explicatum, ac declaratum eſt.

[a] S Hier. in cap. 3. ad Epheſ. s. Aug de Trin. l 1 c. 1. & l. 5. c. 2. & 3. Boet. lib. de Hebdom. cap. 1. s. Greg. li. 16. moral. cap. 16.

OBIICIES I.

QVod Deus vult exiſtere, non neceſſariò vult exiſtere.

Ergo poteſt velle, illud non exiſtere.

Quod ſi nolit, nunc exiſtere aliquid, quod exiſtit; Deus poſſet mutari. Nam poſſet vel-

le nunc non existere, quod antea volebat existere.

Respondetur. Ex suppositione, quod Deus ab æterno voluerit aliquid existere pro eo tempore, quo voluit aliquid existere; necessariò vult illud existere eo loco, & tempore, quo decreuit illi dare, & conseruare existentiam: absolutè tamen ab æterno potuit velle multa non existere, quæ existunt, & alia multa, quę non existunt, existere: vt si decreuisset Deus ab æterno producere alium mundum cum alijs incolis, & noluisset producere hunc mundum cum ijs creaturis, quæ nunc in eo existunt.

Neque ob id intelligitur mutari, aut potuisse mutari Deus: nam per eundem voluntatis actum, quæ est diuina substantia, potuisset velle ea, quæ noluit, nec vult.

Sicut per eandem sui existentiam, seu immensitatem potuisset coexistere, & intimè pręsens esse alijs creaturis a se non productis; quibus tamen non coexistit, eo quod illas non produxerit.

Quod si vlterius dicas; De facto nunc etiam in temporę Deus est intimè pręsens rebus illis, quæ de nouo producuntur, absque sui mutatione, & desinit coexistere rebus illis, quæ desinũt ęsse, nulla facta mutatione in Deo.

Ergo pari ratione (si exemplum quicquam probat) potest nunc Deus velle existere multa,

quæ

quæ ab æterno noluit existere; & vice versa, potest in tempore nolle existere multa, quæ ab æterno voluit, vt in tempore existerent.

Respondeo. Nihil potest velle Deus in tempore; quod noluerit ab æterno, & vice versa, absque vicissitudine, vel mutatione. Non est enim vlla necessitas; aut ratio, cur dicamus, Deum velle in tempore, quod noluit ab æterno: nam, si vellet in tempore nunc aliquid, quod noluit ab æterno;

Quæro, an ab ęterno sciuerit Deus, futurum esse, vt vellet:

Si dicatur Deus nesciuisse: certè derogabitur infinitæ eius scientiæ, & sapientiæ, quæ necessariò cognoscit, quicquid & a se, & ab omni creatura futurum est in omni temporis differentia, & per æternitatem totam.

Si autem ab æterno sciuit, quid futurum esset, vt vellet in tempore; cur non ab æterno illud voluerit, cum eædem rationes volendi, aut nolendi essent Deo ab æterno perspectæ, & perfectissimo modo cognitæ? Sanè non est vlla ratio, cur absque detrimento immutabilis diuinæ sapientiæ consilij id asseratur. Esset enim valde efficax argumentum a posteriori, & ab exemplo ductum, si Deus nunc vult aliquid, quod antea nolebat, & vice versa; id accidere, quia aut Dei voluntas, aut diuinæ sapientiæ consilium mutatum sit. In quo cum

nulla,

Iacob. 1. nulla, non modo mutatio, sed nec vicissitudinis obumbratio esse possit; nihil dicendus est velle Deus in tempore, quod ab æterno noluerit, & vice versa. Aliàs, nobis esset satis efficax argumentum dicendi, Deum mutari, si vellet in tempore ea, quæ ab æterno noluit. Nam solent propositum voluntatis mutare Homines; quia vno tempore sciunt, quod antea nesciebant; aut indigent aliqua re, qua antea non indigebant, vel nesciebant, fore vt indigerent. Si vero dicamus, indigere Deum in tempore aliqua re, qua non indiguerit ab æterno, & ideo mutâsse voluntatem; hoc erit destruere notionem, ac conceptum essentialem ipsius Dei; qui, cum per essentiam existat, neque ab æterno alia re a se distincta indiguit, neque in tempore indigere potest: summo enim bono aliquid deesse posse, repugnat.

In Deo verò, in quo sunt omnes thesauri scientiæ, sapientiæ, & potentiæ, non modo id asserere, sed etiam referre nefas est.

IV Non potest ergo absque vicissitudinis obumbratione velle Deus in tempore, quod ab æterno noluit.

Nam quæro, facta suppositione, quod Deus velit aliquid in tempore, quod noluit ab æterno pro eo tempore, & cum ijs circumstantijs, quibus noluit; An cognouerit Deus, futurum esse, vt vellet, quod noluit.

Si

Si dicas, non cognouisse; id derogat infinitæ sapientiæ Dei.

Si asseras, cognouisse futurum fuisse, vt in tempore vellet, quod ab æterno noluit; cum ab æterno etiam cognouerit rationes, quibus futurum erat, vt in tempore vellet, nulla est ratio asserendi, Deum voluisse in tempore, quod noluit ab æterno: Non enim expectat Deus rerum euentus, vt illos velit, aut cognoscat; expectat autem, produci res a se ipso, vt illis coexistat: quia non potest Deus existere simul cum rebus non existētibus: nam existere simul cum alio, est existere, illo alio existente. Quare implicat, aliquid coexistere rei non existenti. Non implicat autem Deum velle, aut cognoscere aliquid, antequam existat: quinimo necesse est, (vt patet ex ijs, quæ de scientia Dei [a] diximus) Deum ipsum, necessariò, ab æterno cognoscere, quicquid in quauis temporis differentia habiturum est existentiam, & illud velle; cum nihil per participationem existens sit habiturum existentiam, nolente Deo; nec necessitate impertiatur esse ijs omnibus, quæ extra ipsum existunt; vti capite primo diximus. a cap. 10.

Et obiectum, & terminus diuini intellectus, & voluntatis est quicquid habet rationem veri, & boni; siue illud sit possibile tantum; siue futurum in aliqua temporis differentia.

tia.

tia. Terminus autem, cui coexistit immensitas, est res existens; quamuis terminus, cui apta est coexistere immensitas, sit res futura, vel possibilis tantum.

Vides ergo, quomodo necesse sit, existere creaturas, ad hoc, vt illis coexistat Deus: non esse autem necessarium, vt existant, ad hoc, vt illas intelligat, & velit Deus.

Quinimo necessarium est, vt intelligat, & velit Deus, quæcunque extra se existentia intelligit, & vult, etiam antequam existant, & ab æterno; vt præclarè etiam demonstrat Sanctus Thomas[a].

a p.p. q.19. art.7.

OBIICIES II.

SI ab æterno Deus voluisset, quod noluit, & noluisset, quod voluit; Deus habuisset distinctum actum voluntatis ab eo, quem habuit: atque ita non videtur repugnare Deo omnis mutatio, vel vicissitudinis obumbratio.

Ergo, si Deus est omnino immutabilis, cum sit actus purus per essentiam existens; quicquid vult, necessariò vult.

Antecedentis sequela probatur: aliàs enim, haberet, vel habuisset Deus alium actum voluntatis, quem non habet.

Ergo esset mutatus, si voluisset ea, quæ

noluit,

noluit, & noluisset, quæ voluit.

Respondetur. Si Deus ab æterno voluisset, quæ noluit; & vice versa, noluisset, quod voluit; in Deo nulla fuisset futura mutatio. Nam per eundem indiuisibilem suæ voluntatis actum, qui est diuina substantia, æquiualens infinitis volendi, aut nolendi actibus, voluisset, quæ noluit, & noluisset, quæ voluit. Non enim ex eo, quod voluntatis diuinæ mutetur obiectum secundarium, ad quod liberè terminatur; sequitur, mutari Deum; sed satest, mutari creaturas.

Et sicut non mutatur Deus ex eo, quod coexistat per sui immensitatem ijs rebus, quibus antea non coexistebat:

Ita non intelligitur mutari Deus, si intelligatur voluisse ab æterno, esse ea, quæ non sunt, vel non esse, quæ sunt. Ob infinitam enim perfectionem actus diuini intellectus, & volũtatis, potest Deus vnico, simplicissimo, & indiuisissimo actu intelligere ab æterno, habituras existentiam res omnes, quæ sunt eam habituræ in quacunque temporis differentia: & per eundem etiam actum cognoscit, non habituras existentiam res, quæ non existent.

Ita per eundem simplicissimum actum vult, ea existere, quibus decreuit dare existentiam, & non vult, existere ea, quæ non decreuit producere; sed voluit remanere tantum intra nu-

merum rerum poſsibilium.

Non intelligeretur ergo mutari Deus, ſi ab æterno intelligeretur voluiſſe, quæ noluit, & quæ voluit noluiſſe: ſicut vno, eodemque actu vult ea, quæ vult, & non vult ea, quæ reprobat, & quibus decreuit non dare exiſtentiam.

OBIICIES III.

Deus omnibus rebus dat, & impertitur eſſe, ſicuti ſol, quem Deus abſque vlla differentia [a] oriri facit ſuper bonos, & malos.

[a] Matth. cap. 5.

Ergo pari ratione, vniuerſali ſuo concurſu Deus dat omnibus rebus eſſe abſque vlla electione. Nam ſicut non poſſunt res exiſtere, non concurrente Deo; ita nec poteſt Deus nō operari, saluâ rerum creatarum natura, quæ tota pendet eſſentialiter, & neceſſariò a Deo.

Et cum de ratione cuiuslibet rei creatæ per participationem exiſtentis, neceſsariò ſit dependere ab eo, quod eſt per eſsentiam; ita per eſsentiam exiſtens, neceſsariò dat omnibus eſſe. Eſt enim prima cauſa rerum omnium neceſsaria cauſa. Nam non poteſt intelligi aliquid exiſtere per participationem, & dependenter, quin intelligatur exiſtere dependenter ab eo, quod eſt per eſsentiam.

Primum enim in vnoquoque genere eſt

cauſa

causa cæterorum[a].

[a] Arist. 2. metaph. tex. 4.

Respondetur; ex discursu posito nihil aliud probari, quàm res necessariò pendere a Deo; & ex suppositione, quod existant, debere a Deo, qui est ens per essentiam existens, recipere existentiam. Vt enim dictum est capite primo, & alibi, Quæ per participationem sunt, necessariò sunt ab eo, quod est per essentiam:

Non inde tamen sequi, vt causa prima simpliciter, & absolutè ante suæ voluntatis decretum debeat dare rebus existentiam. Nam ita decreuit illis dare esse, vt potuerit decernere eisdem non dare esse. Sed facta suppositione, quod Deus voluerit res existere; necesse est, vt ipse per se ipsum det immediatè existentiam. Non enim possunt res createæ existere, quin dependeant immediatè a prima causa, & immediatione suppositi, & immediatione virtutis; etiam si interdum dependeant a secundis causis.

Quando ergo dicitur; Res necessariò pendent a Deo; illud, necessariò, se tenet ex parte rerum creatarum, quæ si sunt, necessariò pendent a Deo: non autem se tenet ex parte Dei, qui ita dat esse, vt potuerit non dare.

Neque etiam ex dictis sequitur Deum, cum sit prima rerum omnium causa, debere per essentiam, & non per voluntatem operari: quia

quod conuenit alicui primò, & per ſe, per eſſentiam conuenit[a].

a Ariſt. lib. 1. poſt.

Nam voluntas Dei, & intellectus, & quicquid eſt in Deo, eſt eſſentia Dei, vti ſæpius dictum eſt: atque ita, etiam ſi Deus agat immediatè per eſſentiam; id non excludit, quo minus agere poſſit, & debeat per voluntatem: quinimo neceſſe eſt, primam cauſam efficientem agere per intellectum, & voluntatem.

Et ideo, quando à Patribus, vel ſcripturis bonitati, intellectui, vel ſapientiæ diuinæ tribuitur eſſe cauſam rerum; non ob id excluditur voluntas, quæ eſt idem realiter cum quolibet attributo: & quatenus ratione diſtinguitur ab alijs attributis, ſi ponatur etiam cauſa rerum, non excludit cætera, ſed dicit perfectiorem modum operandi, qui eſt per intellectum, & voluntatem, maximè conuenientem primæ cauſæ per eſſentiam exiſtenti.



QVAE-

QVÆRITVR SECVNDO VTRVM VOLVNTATIS DIVINÆ SIT ASSIGNARE ALIQVAM CAVSAM.



RESPONDEO, Dicendum: Voluntatis diuinæ non est assignare aliquam causam.

Constat ex Sancto Augustino [a], asserente, voluntatis diuinæ nullam esse causam: quia ipsa est causa omnium.

a l. 1. de Gen. cot. Manich. c. 2.

Probatur. Nam eius, quod per essentiam existit, non est assignare aliquam causam.

Sed voluntas diuina, cum sit Deus, per essentiam existit.

Ergo voluntatis diuinæ non est assignare aliquam causam.

Maior est certissima. Nam si loquamur de causis intrinsecis, euidens est, ex ijs, quæ diximus capite 2., actum purum per essentiam existẽtem nullam admittere compositionem.

Ergo non potest dependere ab alio, neque in genere causæ materialis, neque formalis, quæ sunt causæ intrinsecæ.

Si

Si verò loquamur de causa efficienti; hoc etiam plusquam euidens est. Nam per essentiam existens, non potest habere existentiam ab alio.

Ergo non potest dependere in genere causæ efficientis, quæ dat existentiam, & educit res de potentia ad actum. Educi autem de potentia ad actum, & ab alio recipere existentiam, ex diametro opponitur actui puro per essentiam existenti.

Non posse etiam assignari causam finalem eius, quod per essentiam existit; patet: nam quod per essentiam existit, etiã per essentiã est bonũ. Quod autem per essentiam bonum est, non alterius gratia, & dependenter ab alio est bonum, & appetibile; sed habet rationem vltimi finis, & optimi.

s.Greg.Naz. orat. 45. de diuin.
a S.Hier. in cap. 3. ad Ephes.
s. Augu. de natura bon. con. Manich.

Quare asseritur in Prouerbijs[b]. Vniuersa propter semet ipsum operatus est Dominus, qui est principium, & finis[c], A, & Ω.

b cap. 16.

c s. Diony. c. 5. de diu. nom.
s. Greg. Naz. Apologet. orat. 1.
c Apoc. cap. 1.

Constat ergo discurrenti per omnia causarum genera, Voluntatis diuinæ, quæ est Deus ipse per essentiam existens, nullam assignari posse causam.

OBIICIES I.

Voluntatis humanæ ideo assignatur causa, quia vult vnum propter aliud; vt medi-

medicinam propter sanitatem, & in vniuersum, media propter finem.

Sed Deus, cum quicquid vult, ordinatè velit; necessè est velit omnia propter suam bonitatem, quæ est vltimus finis, & optimus.

Ergò vult ipse etiam media propter finem. Ergo voluntas, seu actus volendi finem, est causa voluntatis, qua vult media: Non enim potest Deus non velle omnia alia distincta a se, nisi propter se ipsum.

Sicut igitur bonitas Dei est causa bonitatis omnium rerum; ita voluntatis actus, quo suam bonitatem, & se ipsum vult; est causa voluntatis, qua vult alia a se.

Respondetur. Falsum est, voluntatis humanæ ideo assignari causam, quia tātum vult vnum propter aliud. Sed ideo voluntatis humanæ datur causa, quia ita vult vnum propter aliud, vt distincto, & alio actu velit media, & finem; & actus, quo vult finem, est causa actus illius, quo vult media [a].

[a] S. Tho. p.p. q. 19. art. 5.

At verò Deus, cum sit ens per essentiam existens, vno simplicissimo actu, qui est eius voluntas, & essentia, vult & finem propter se ipsum, & media propter finem. Sicut ex eo, quod in se ipso intelligat omnia, vnoq; simplicissimo actu intellectus intelligat & causas, & effectus; non est in illo cognitio discursiua. Nec cognitio principiorum, & causarum est

cau-

causa cognoscendi effectus, vel cognitionis eorundem effectuum.

a p.p.q.19.art.5.

Quamobrem Angelicus Doctor[a], ne vlli sit errandi occasio, docet de Deo melius dici, velle, vnum esse propter aliud, quàm dici, Deum velle vnum propter aliud; licet modo explicatò non repugnet, dici, Deum velle vnum propter aliud; dummodo sit vnus, ac simplex actus, quo vult vnum, & aliud; scilicet finem, & media.

b Isa. 1. & 7. Ier.15. Ezech. 3. Oseę 2. Amos.7.

Velle autem Deum, vnum esse propter aliud, colligitur ex multis scripturæ locis[b]; Et apertè in Symbolo Fidei de Filio, qui est Verbum Dei, & Deus ipse, dicitur. Qui propter nos Homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis.

c Rom. 13.

Et ab Apostolo[c], quæ a Deo sunt, ordinata esse dicuntur. Qui si non ordinatè vellet; ordine, ac dispositione rerum reclamante; Deus irrationabiliter vellet: quod ex Sancto Augustino[d], nemo est, qui audeat asserere.

d l.83.quæst q.46.



QVAE-

QVAERITVR TERTIO VTRVM VOLVNTAS DEI SEMPER IMPLEATVR.

RESPONDETVR, dicendum; Voluntatem diuinam semper impleri.

Probatur. Quia voluntas diuina est voluntas primæ causæ per essentiam existẽtis, quæ est infinitæ sapientiæ, scientiæ, ac potentiæ.

Ergo nihil est, quod eius voluntati possic resistere, aut illam impedire.

Dicit enim Scriptura [a]; Omnia, quæcunque voluit, Dominum fecisse: & [b], Non esse, qui diuinæ voluntati resistere possit.

a psal. 113.
b ... Esth. 13. ad Rom. 9.

Nam quo pacto creaturæ, quæ nihil agere possunt, nisi concurrente, & adiuuante Deo, qui potest quolibet temporis momento illas in nihilum redigere, Dei resistere poterunt voluntati?

Qui [c] vocat ea, quæ non sunt, sicut ea, quæ sunt. Cuius nutui, ac numini ita omnia obediunt, ac si vocem eius, non modo, quæ existunt, sed etiam quæ non sunt, audirent;

c ad Rom. 4.

vt constat Genesis primo; vbi, dicente Deo, & vocante res non existentes ad esse; statim ex non esse transierunt ad esse, ac si vocem Dei dicentis, & iubentis audiuissent. Dixit enim; fiat lux: & facta est lux; Et sic discurrendo per omnia opera sex dierum, quæ fecit, atque creauit Deus; patet id, quod diximus: omnia scilicet, etiam non existentia, dicente Deo, statim extitisse; Quod etiam David [a] apertè significat ijs verbis; Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt: Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

a psal. 148.

Certe nihil resistere potest ei, qui ita vult, vt omnia possit, & sciat: qui cum sit vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam; non modo non potest quis illi resistere; sed nec manus, idest potestatem eius, effugere.

In quo cum sit idem & velle, & posse, & intelligere, & esse; nihil est in tota rerum vniuersitate, quod non ipso volente sit, [b] & conseruetur.

b s. Athanas. ser. 4 con. Arrian. s. Aug. lib. 2. de Trinit. cap. 2. & 3. & in Enchir. cap. 95. s. Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 4.

Neque tamen propterea voluntatis creatæ destruitur ratio; quæ cùm sit essentialiter dependens ab eo, quod per essentiam existit; cum nec esse, nec operari quicquam possit sine eo; necesse est ab eius scientia in finem proprium dirigi creatam voluntatem, & eo approbante, volente, ac cooperante, necesse

est velle, & operari, quicquid vult, aut operatur.

Hæc enim est creatæ naturæ conditio, vt nihil sit, aut operari posit independenter ab eo, qui per essentiam existit, & ob infinitam suam sapientiam, & potentiam nouit, & potest, & vult cum causis secundis operari iuxta earum indigentiam, & exigentiam. Qui [a] attingit a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. a sap. 8.

Quare cum causis necessarijs ita concurrit, vt illas ad operandum necessitate antecedenti prædeterminet. Et cum causis liberis ita voluit, ac decreuit ab æterno operari, sicut in tempore operatur. Dum autem in tempore cum causis liberis ad operandum concurrit, non illas antecedenti necessitate ad operãdum prædeterminat Deus: atque ita non aufert creatæ voluntatis libertatem. Ergo neque etiam quando ab æterno cum voluntate creata concurrere decreuit, quicquam statuit, aut decreuit, quod humanæ officeret libertati. concil.Trid.sess.6.

Non igitur voluntate diuina destruitur, sed perficitur creata libertas; cum dependenter a voluntate diuina habeat, vt sit, & operetur, iuxta naturæ propriæ exigentiam, quam nouit ille, qui omnia nouit, & potest; sine quo nulla creata res, non modo operari non potest, sed ne momento quidem temporis esse:

cum nihil sit in re creata, quod in suo essentiali conceptu non includat dependere a Deo.

O B I I C I E S I.

SI voluntas Dei semper impletur, necesse est fieri quicquid vult Deus.

Sed nihil fit, aut fieri potest, nisi volente Deo; vti supra dictum est.

Ergo nihil est, quod non necessariò fiat.

Si autem omnia necessitate fiunt; libertatis creatæ non videtur posse saluari ratio; sicut paulò ante dicebamus.

Respondetur: Necesse est fieri, quicquid vult Deus eo modo, quo ipse vult: sed effectus, & operationes causæ necessariæ, & determinatæ ad vnum, quatenus ab ipsa earum operationes sunt iuxta naturæ propriæ exigentiam, Deus vult esse necessariò. Nam aliàs potest etiam effectus, & operationes causarum secundarum necessariò operantium impedire. Sicut Solem tempore Iosue[a] stare iussit, & stetit. Et Ezechiæ[b] tempore, retrocedere, & retrocessit. Et, vt habemus ex Daniele[c], impediuit ita virtutem ignis, vt illæsi ex fornace exierint Sidrach, Misach, & Abdenago.

a Iosi. cap. 10.
b Isai. cap. 38.
c cap. 3.

At verò cum causis liberis ita vult concurrere, vt ipsæ liberè operentur, nec aliqua antecedenti necessitate prædeterminentur ad operan-

randum ; quod verum est etiam in operibus ; quæ fiunt dependenter à supernaturalibus diuinæ gratiæ auxilijs : etiam efficacibus ; vt habemus ex Concilio Tridentino a. a sess. 6.

In specie autem descendere ad vnum specialem, ac indiuiduum modum, quo cum gratiæ auxilijs stet nostra libertas, excludendo cæteros; periculosum est ; ne præfigere videamur velle modum infinitæ potentię Dei, ac sapientiæ ad operandum iuxta nostrum imperfectum intelligendi modum.

Quamuis non negem, interdum fuisse vtile ad conuincendam Hæreticorum proteruiam, & simplicium adiuuandam imbecillitatem, id aliquo particulari modo, & in specie, vel exemplis, vel ratione explicare, quo modo fecerunt & Patres, & Concilia, quando fuit opus aliquã redarguere hæresim, aut contra gratiam, aut contra liberum arbitrium excitatam.

Sed his nostris temporibus, cum Sacræ Cõgregationis decreto prohibeatur vlterius progredi, quàm huc vsque, aut per Concilia, & Patres, aut per doctissimos, ac sapientissimos huius, atque præcedentium sæculorum Theologos vsque ad Annum 1611. processum sit, abstinendum censeo, & libenter abstineo ab omni modo explicandi, quo legem impositam transgredi posse viderer.

OBII-

OBIICIES II.

SI voluntas Dei semper impleretur, omnes Homines salui fierent: cum Apostolus prima ad Timotheum[a] dicat; Deus vult omnes Homines saluos fieri.

a cap. 2.

Sed non omnes Homines salui fiunt.

Ergo voluntas Dei non semper impletur.

Respódent aliqui primò[b]. Deus vult omnes Homines saluos fieri; idest ex omni gête, natione, populo, & statu; ex Maribus nempe, Feminis, Iudæis, Gentilibus, paruis, magnis, aliquos saluos fieri; non tamen singulos cuiusque conditionis, ac status; & ideo volunt, illam particulam (omnes) accipi distributiuè pro generibus singulorum, idest pro aliquibus ex omni genere: non autem pro singulis generum, idest pro omni, & quolibet cuiusque status, conditionis, ac gentis.

b s. Augu. Enchir. cap. 103.

Respondetur secundò[c]. Deus vult saluos fieri omnes Homines, qui saluantur; non ità tamen, vt omnes Homines salui fiant; sed ita, vt nemo sit, qui saluetur, quem Deus nolit saluari.

c s. Aug. ibid.

Respondetur tertiò.[d] Deus vult omnes Homines saluos fieri voluntate antecedenti, non autem consequenti: idest, vult Deus omnes, &

d s. Damasc. de fid orthod. lib. 2. cap. 29.

sin-

singulos homines saluos fieri, si consideretur eorum natura, & finis, ob quem a Deo conditi sunt, non consideratis malorum prauis operibus: quod est, velle voluntate antecedenti omnes, & singulos saluos fieri. Consideratis tamen prauis, ac malis peccatorum operibus, non vult omnes Homines saluos fieri. Nam vult aliquos peccatores ob eorum culpas, de quibus pœnitentiam non egerunt in vita, post mortem puniri, & damnari.

Et hæc distinctio voluntatis antecedentis, & consequentis non desumitur ex eo, quod sint duæ voluntates in Deo, quarum vna sit altera prior, cum in Deo nihil sit prius, aut posterius: sed desumitur ex parte obiecti, scilicet Hominum in casu nostro, qui si considerentur, vt sunt naturæ intellectualis, capaces gloriæ, ob quam conditi sunt, & ad illam per auxilia gratiæ, saltem sufficientia, ordinati; intelligitur Homines esse obiectum, vel terminus diuinæ voluntatis ita, vt Deus velit illis dare gloriam, nisi aliud obstet. Obstant autem interdum in aliquibus eorum opera mala; quibus consideratis, non vult, ex Hominibus peccatores, qui in peccato vsque in finem perseuerabunt, saluos fieri: sed iusto iudicio ad inferos descendere, vt æternis pœnis crucientur in igne, quem præparauit Deus Diabolo, & Angelis eius. ad Rom. 2. Matth 25.

Quare

Quare in scripturis a Deo sæpius promittitur retributio, vel æterna, vel temporalis, si eius mandata custodiantur, & lex adimpleatur.

a Gen. cap. 26. [a] Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abrahā voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias, legesq. seruauerit.

b Exod. 15. [b] Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo, feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisq. omnia præcepta illius; cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te.

c Deut. 8. [c] Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, caue diligenter, vt facias; vt possitis viuere, & multiplicemini; ingressiq. possideatis terram, pro qua iurauit Dominus Patribus vestris.

d Math. 19. [d] Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Non homicidium facies, &c.

e Luc. 10. [e] Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut te ipsum; hoc fac, & viues.

f Ioan. 15. [f] Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

Vult ergo Deus, omnes Homines saluos fieri, si mandata eius custodierint, & legem eius obseruauerint: ad quam obseruandam dat auxilia gratiæ sufficientia, vocādo, & ad ostium cordis pulsando, stans, & expectans, vt ei per consensum liberum voluntatis adiutæ auxilijs

gratiæ

gratiæ aperiatur. Inquit enim apud Ioannem.[a] Ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam; intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.

a Apoc. 3.

Quod si aliqui vocationi Dei non respondentes, gratiæ eius resistant, & eam abijciant, opera carnis, ac peccati perficientes; voluntate consequenti scientiam malorum operum, quæ facturi sunt peccatores, & impij in suo peccato, & impietate vsque in finem perseuerantes; non vult illos saluos fieri, sed iuxta eorum culpam, iusto iudicio æternis supplicijs damnari.

OBIICIES III.

Qui præcipit aliquid fieri, aut prohibet; vult ea, quæ præcipit fieri, & ea, quæ prohibet, non fieri.

Sed Deus mandatis suis præcipit multa fieri, quæ non fiunt: & prohibet fieri, quæ a peccatoribus diuinæ legis transgressoribus fiunt.

Ergo non semper diuina voluntas impletur.

Respondetur. Quæ præcipit Deus, vult fieri, & quæ prohibet, non vult fieri. Sed ita vult fieri bonum, & non fieri malum, vt velit etiam, liberum seruari arbitrium, nec velit im-

pedire, aut cogere libertatem. Et ideo multi etiam adimplent diuina præcepta, & sequuntur consilia: licet alij, libertate abutentes, & gratiæ Dei non cooperantes, peccent contra voluntatem Dei præcipientis, & misericordia sua per bona opera ducere volentis etiam eos, qui peccant, in vitam æternam, si a peccatis recederent; qui cum nolint obedire, non vult illos cogere Deus, sed permittit, eos operari iuxta voluntatis propriæ libertatem, & electionem: qui cum per peccata voluntate propria ab ordine misericordiæ recedant, vult illos punire Deus, & in ordinem iustitiæ redigit æternis pœnis eorum culpa puniendos; quia gratiæ Dei restiterunt, & vocanti Deo per excitantem, ac præuenientem gratiam non responderunt: Qui etiam relinquens Homines in manu consilij proprij, non eos auxilijs gratiæ sufficientibus destituit: quinimo neque ab ijs, quos interdum [a] indurare dicitur, subtrahit Deus sufficientia [b] gratiæ auxilia: sed ideo indurare illos dicitur, quia permittit, vt in suam perniciem conuertant ea, quæ ad salutem, & conuersionem sunt data.

a Exod 9. Isai. 6. Matth 13. Ioan. 12 Rom. 1.
b côc. carth sub Innoc. I. in Rescript. eiusd Innocen. ad conc ann. 416 côc. senonen. prouinc. ann. 1528. con. VViclef. & Lutheranos. card. Bellarm. l. 2. de gratia, & li. arbitr. cap. 6. & 8.

Quare in omnibus semper Dei voluntas impletur, qua aliquid, aut iubet, ac præcipit; aut non prohibendo, permittit.

Nam quando præcipit, aut consilium dat; vult, liberè fieri id, quod ipse præcipit, aut suadet

det ab ijs, qui debent mandata implere; & cõsilia sequi: & permittens Deus aliquos peccare, seu relinquere præcepta, nolens eos prohibere; vult illos in manu proprij consilij relinqui.

Semper ergo impletur Dei voluntas, qua vult, impleri diuina præcepta, aut non vult prohibere; sed permittere, vt aliqui iuxta voluntatis propriæ electionem recedant a diuina regula, lege, ac mandatis. Est enim voluntas diuina finitis in infinitum æquiualens actibus voluntatis creatæ, qua Deus vult ea, quæ vult; & non vult ea, quæ non vult: qua amat bonos, & odio habet improbos: qua immutata, potuit velle, quæ non vult, & nolle, quæ vult: & qua vnum, & eundem eodem tempore potest secundum vnam rationem amare, & secundum aliam odio habere: verbi gratia, Deus peccatorem ratione naturæ vult esse, & per consequens vult illi naturæ bonū; & sic hac ratione amat: & quia peccator est, non vult illi bonum gloriæ, sed malum pœnæ, & ita odio habet. S. Thom. p.p.q.19.

Ex quo vlterius censeo, signis voluntatis diuinæ, quæ sunt præceptum, consilium, prohibitio, permissio, & operatio, correspondere in diuina mente aliquam beneplaciti voluntatem: Nihil enim præcipit, aut consulit Deus, quod nolit fieri; sed vult, omnia, quæ præcipit, fieri, saltem conditionatè, scilicet cum li-

bera creatæ voluntatis cooperatione: quæ si vult gloriam, debet mandata adimplere diuina: quæ præcepta, seu mandata a quibusdam permittit Deus non adimpleri, volens illos relinquere, vt iuxta libertatis propriæ arbitrium operentur; licet sciat illos non cooperaturos sufficientibus auxilijs, quæ nemini negantur.

Quinimo interdum etiam operatur Deus virtutes, & miracula, quibus scit non credituros multos: quia vult iustos, vel credentes, & pœnitentiam agentes saluare: Et vult, non credentes nullam habere excusationem in peccato, ob quod illos iustè punit: vt contigit in miraculis, ac virtutibus factis per Moysen in Ægypto, quando in manu potenti, & brachio extento voluit educere Hebræos ex Ægyptiaca seruitute in terram promissionis.

Neque cuiquam mirum debet esse, quod vni simplicissimo, atque indiuisibili voluntatis actui tam multa, & contraria obiecta correspondeant. Nam, cum sit voluntas diuina idem, quod eius substantia per essentiam existens, infinitis volendi, ac nolendi creatæ voluntatis actibus æquiualet.

Quod si dicas. Interdum non vult Deus, quod præcipit; vt patet ex eo[a], quod iussit Abrahæ, vt Filium suum immolaret; quem tamen nolebat immolari.

Respondetur. Tunc etiam illo præcepto habuit

a Gen. cap. 22.

habuit Deus voluntatem; vt Abraham obediret, cui dedit præceptum, non manifestando totum id, quod ipse facturus erat; vt Abraham obedientiæ haberet meritum, & promissionis factæ certam, ac firmissimam spem; relinquens exemplum, in Dei præceptis, qui est regula, & lex viuendi omnibus, non esse curiosè inquirendas rationes.

Vides ergo, quomodo præceptis, consilijs, prohibitionibus, quæ sunt signa voluntatis diuinæ, semper correspondeat aliqua voluntas beneplaciti, vel absoluta, vel conditionata; vel secundum vnam rationem, vel aliam. Quia cum voluntas diuina sit per essentiam existens, est æquiualens infinitis actibus voluntatis creatæ; & per illam vni vult præmiũ, & vitam æternam, alteri vult ob eius peccata pœnam, & damnationem. Quinimo vnum, & eundem, quatenus habet in se naturæ bonum, amat; quatenus autem per peccatum recessit a diuina lege, & peccauit, odio habet: & dans auxilia gratiæ sufficientia, vult eidem & bonum gratiæ iustificantis, & gloriæ, quæ illum bearet; si diuinæ gratiæ auxilijs cooperaretur, neque illa reijceret. S.Thom.p.p.q.19.

Nam cum nihil oderit Deus eorum, quæ fecit; fecerit autem in peccatore naturam, & non peccatum; ideo naturam amat, peccatum prosequitur odio.

Quin

Quin & Homines diligunt, & amant, quos corrigunt, & castigant; in quibus tamen non diligunt culpam, quam omni studio auferre conantur ab ijs, quos diligunt.

Non est ergo impossibile, vt vnus, & idem ratione boni, quod in se habet, sit terminus amoris: Et ratione culpæ sit odij materia, obiectum, seu terminus.

Ex dictis vlterius colligimus; Iustitiam, & Misericordiam, quæ in voluntate nostra sunt virtutes, & in nobis secum afferunt interdum sensuum quandam affectionem, seu passionem; in Deo, remota passione, esse simplicissimum actum volũtatis diuinæ per essentiam existentis, quo vult aliquem a miseria subleuare; aut per iustitiam vult vni reddere præmium, & coronam iustitiæ, ad quam fuerat misericordia electus; & alteri pœnam ob pecta debitam.

Quod si interdum Deus dicatur [a] irasci; ira autem semper fit cum aliqua passione; in Deo est actus voluntatis diuinæ [b] volentis aliquem punire, vel, vt a malo resipiscat; vel si sua culpa ex ordine misericordiæ recesserit, vt in ordinem iustitiæ, cuius est punire delicta, redigatur: Idq; totum est absque vlla Dei mutatione, vel alteratione.

Ira enim de Deo [c] metaphoricè, & per similitudinem dicitur: Nam Deus puniens, illud

a psal. 89. Iob. 14. Ioan. 3. ad Rom. 1

b s. Hiero. lib. 2. in Lamẽtationes Ierem. cap. 3.

c s. Greg. Naz. Iambic. 21. aduers. irã. s. Augu. enarrat. in

lud idem efficit, quod ſolent irati.

Sicut & pœnitentia etiam non propriè de Deo dicitur. Nam ideo dixit Deus [a]; Pœnitet me feciſſe Hominem: quia ob peccata Hominum voluit delere, & deleuit Homines a facie terræ; paucis quibuſdam exceptis, qui cum Noe in Arca ſaluati ſunt ab aquis diluuij.

Quod ſi dicatur tactus dolore cordis intrinſecus;

Id totum eſt; vt exprimatur peccatorum grauitas, quæ tanta eſt, vt, ſi Deus (qui cum ſit per eſſentiam exiſtens, eſt omnino immutabilis) pœnitentiæ, ac mutationis eſſet capax, hoc vnum eſſet motiuum, ob quod eum pœnitere poſſet feciſſe Hominem; cum quo ita ſe vult gerere, & de facto ſe gerit Deus puniendo, ac ſi ipſum facti pœniteret.

Ex his, quæ dicta ſunt de voluntate Dei, facile poteſt quis diſcurrēdo intelligere, quid ſit dicendum in alijs caſibus.

Qui plura de voluntate Dei ſcire vult, videat Sanctum Thomam cum eius Interpretibus p.p.q.19.

pſ.82.105.& 131. in Enchir.cap 33. lib.2.ad ſimplicia qu.2. De ciuit.Dei. lib. 15.cap.25.& alibi ſępiſsimè. s.greg.lib.20. moral cap.23.

a Gen.6.



CAPVT

CAPVT XV.

DE PROVIDENTIA DEI.



VPERIORIBVS capitibus visum est, quo modo Deus, qui est per essentiam existens, infinita sua cognitione, non solum se ipsum, sed etiam quascunque res in se ipso intueatur, & videat: siue illæ tantum possibiles sint: siue sint existentes in aliqua differentia temporis, aut dependenter a Deo tantum, aut a Deo, & causis secundis: siue illæ necessariò, & ad vnum, vel natura, vel instinctu naturæ antecedenter prædeterminatæ sint: siue liberè, & voluntariè operantes. Cum qua Dei cognitione necessariò coniuncta est voluntas, qua & se ipsum vult, & amat, & cætera omnia propter se ipsum.

Nunc videndum est, quomodo Deus omnium, quæ voluntatis suæ arbitrio esse decreuit, prouidentiam habeat.

Quod vt explicetur;

QVAE-

QVÆRITVR.

VTRVM RERVM OMNIVM SIT PROVIDENTIA IN DEO.

RESPONDETVR, dicendum; rerum omnium in Deo Prouidentiam esse.

Probatur. Quia, vt patet, res omnes, quæ a Deo sũt, perfectissima ratione sunt factæ, & ordine dispositæ, atque per infallibilia media in suum ita diriguntur, ac ducuntur finem, vt nihil præposterum, nihil inordinatum in operibus Dei appareat.

Ergo necesse est, in mente Dei, qui est rerum omnium prima causa per essentiam existens, dans rebus omnibus esse, quæ a nullo alio dirigi potest, præexistere ordinem, scientiam, & artem rerum omnium, quæ ab ipso summo ordine, scientia, & arte fiunt: quem ordinem, scientiam, & artem in diuina mente præexistentem,[a] prouidentiam dicimus.

Datur ergo Prouidentia in Deo; ex qua sequitur deinde, vt omnia in suum finem dirigendo gubernet.

Vniuersalissimæ enim causæ ordinem nihil

a s. Aug. lib. 6. de Gen. ad lit. c. 10. & seqq. s. Thom. p. p. q. 22. art. 1. & alibi. s. Greg. Naz Apologet. ora. 1 & Iābic. 15. de definit.

effugere potest, a qua necesse est, omnia in ratione entis dependere: quod cum se extendat ad omnia genera, species, & indiuidua rerum, & sit in omnes rerum differentias diffusum; nihil est per participationem existens, quod secundum omnem sui rationem non debeat esse dependens ab eo, quod per essentiam existit. Quod cum perfectissimo modo agat, necesse est, vt præcognoscat ordinem, dispositionem, ac media, quibus ordinet, disponat, & præparet media, quibus regat, & gubernet omnia, ea in proprios fines dirigendo. Qui ordo, ac dispositio, cum in rebus ipsis appareat, quæ a Deo sunt; necesse est hunc ordinem, cum hac dispositione, & mediorum præparatione præextitisse in mente diuina.

Res autem omnes, quæ à Deo sunt, esse inter se perfectissimo modo ordinatas, atque dispositas, rerum vniuersitatem intuenti manifestè apparet: Omnia enim summo inter se ordine ita sunt disposita, & conseruantur, vt vocem Domini ad eius voluntatem, ac præcepta exequendum audire videantur; etiam si sensu, & intellectu careant.

Quare Iob 9. dicitur; Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo.

a 114. Et in Psalmis David [a]. Præceptum posuit, & non præteribit.

Ignis,

[a] Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius; idest Dei voluntatem, vel quod vult Deus, vel, ad quod ordinata sunt a Deo.

a 148.

Ita enim omnia librata sunt, vt suis ponderibus stare videantur: & tam perfecto ordine inter se disposita sunt cælum, & terra, & quæcunque cæli, ac terræ ambitu continentur, vt elementa qualitatibus inter se oppositis dissidentia, in perpetuam pacem, ac vnionem inter se, non otioso tamen ordine, coniuncta ad mundi perpetuitatem dixeris; ac si ortus, atque interitus expertia essent: sicut cælestia, & æterna corpora ab omni qualitatum contrarietate seiuncta: Et tam perfecta arte, ac sapientia qui hæc omnia viderit constare, si artificis supremi artem, sapientiamq. negauerit; is tanquam ignorans distinguere manifesta ab immanifestis, cum rerum euidentia conuinci nō possit, non vlterius redarguendus est.

S.Greg Nyss.disp. de Anim.& resurrect.

Qui adhuc ad contemplandam diuinam Prouidentiam excitare mentem voluerit, plura ex Cicerone Ethnico Homine de natura Deorum lib.2. intelligere poterit; & ex Patribus, atque Scripturis tam multa in hoc argumentum colligere poterit, vt superfluum videatur in hunc locum ad id suadendum plura adducere: tot enim sunt linguæ id resonantes, quot res a Deo productæ conspiciuntur; quæ

S.Hiero. in Ecclesiasten. cap. 3.
S.Aug lib 6 de Gen. ad litt. ca 20. & seqq.& alibi sæpè
Boet li 3 de consol metro 9.

 ad

a Daniel 3.
b ps. 112. 116. 148. 149. 150.
c corint. 9.

ad benedicendum Deo, & ad eius Laudes celebrandas a tribus Pueris in Hymno [a], & a Propheta in Psalmis [b] euocantur.

Neque obstat primò, quod dicatur [c]; Deo non esse curam de bobus. Nam non est ea cura de bobus, quæ est naturæ creatæ intellectualis, quæ non solum inclinatione naturali, & instinctu naturæ in suũ agitur, seu dirigitur finem, sicuti res intellectus expertes aguntur, & diriguntur; sed etiam per legem, nõ solum naturalem, verum etiam supernaturalem; & auxilia gratiæ distincta a lege, & beneficio creationis, in finẽ vltimum, & optimum, qui Deus est, dirigitur, & ducitur.

Quod si aliqui hunc finem, in quem a Deo per legem, & gratiam sunt directi, non consequantur; Dei tamen prouidentiam neque hi etiam effugere possunt; qui permittit eos iuxta consilij proprij rationem operari: ipsi autem auxilijs gratiæ sufficientibus datis non cooperantes, cum per culpam recedant ab ordine misericordiæ, in ordinem iustitiæ redacti, propriæ culpæ pœnas debitas sustinere debent.

Matth. 10.
Luc. 12.

Nõ vilescit etiam intellectus diuinus, si minutissimorũ Animaliũ, vt ex Euangelio habemus, curã habeat Deus, qui etiã capillos capitis numerat: quia non a rebus ipsis cognitionem accipit Deus; sed quemadmodum nihil est

perfe-

perfectionis, quod actu, aut potentia ſit in rebus, quod non ſit in ſuo conceptu, & eſſe dependens a prima cauſa per eſſentiam exiſtente: ita nihil cognoſcit Deus, niſi in ſe ipſo; vt ſupra fuſius.

Non infert etiam Prouidentia Dei neceſsitatem rebus per intellectum, & voluntatem agentibus; vti docet Sanctus Thomas [a]; Quia nouit Deus infinita ſapientia ſua ordinare cauſas liberas in finẽ ſuum; non eas prædeterminando antecedenti neceſsitate ad operandum; ſed auxilia gratiæ efficacia dando ijs, qui ſaluantur, ita, vt liberè operentur; quippe qui infinita ſua potentia, & ſapientia nouit, ac potuit [b] attingere a fine vſque ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuauiter.

a p.p.qu. 19.art.8. & 22.& quæſ.23. art.4.

b Sapien.8.

Non obſtat etiam ſecundò, quod appareant in rerum vniuerſitate interdum quædam præpoſtero ordine facta, nec apta conſequi finem, ad quem natura ſunt ordinata; vt ſunt Monſtra, & defectus omnes, qui naturæ vitia, & peccata dicuntur; vti videre eſt apud Philoſophum: qui ex eo, quod res naturales a proprio interdum fine deficiant, probat naturam agere propter finem.

lib.2. phyſic.

Nam ad primam, & vniuerſaliſsimam rerum cauſam, operantem cum omnibus, & ſingulis cauſis creatis, quæ deficere poſſunt, ſpectat, aliquem permittere defectum; qui non

Deo

Deo permittenti, ſed deficienti cauſæ tribuendus eſt.

Ex quo etiam habemus, nihil caſu, aut temere fieri, qua ratione a Deo eſt, qui ſumma arte condidit omnia; & tam perfecta ratione, ordine, ac diſpoſitione in mente ſua præordinauit omnia, vt etiam in naturæ defectibus, quos permittit, cognoſcamus, Deum rebus omnibus ſuum attemperare concurſum: quod ſine ſumma cognitione, prouidentia, & arte eſſe non poteſt.

Non obſtat tertiò diuinæ Prouidentiæ tam multiplex rerum varietas, quarum aliquæ ſuperfluæ videntur: aliæ noxiæ; vt minuta, & venenoſa animalia.

Nam neque hæc temere, vel caſu a Deo fiunt, quamuis non omnium finem cognoſcamus. Non enim diuinam artem per eſſentiam exiſtentem, & in ſe ipſa rerum omnium rationes continentem metiri debemus noſtra ſciẽtia, quæ, diuinæ comparata, ignorantia potius, ac [a] ſtultitia, quàm ſcientia dicenda eſt.

a 1. ad Corint. 3.

Sicut non ruſtici rudis, & inexperti Hominis ſcientia, vel in optimo inſtructo exercitu; vel perfectè diſpoſita Ciuitate quicquam, aut ſuperfluum, aut perperam factum affirmare debemus, ſi rudis ipſe, & inexpertus homo non nouerit finem, & conſilium, aut Ducis exercitui imperantis, aut Principis Ciuitatem

tem moderantis.

Non obstat etiam quartò, quod videamus in hoc sæculo [a] impios [b] exaltari,& deprimi iustos: illos pacem habere; hos bello, & persequutionibus agitari: illis prospera cuncta succedere; his infortunio actis, infelicia cuncta, atque luctuosa accidere: vti ex scripturis cognoscere possumus, in quibus [c] Iob, ac [d] Tobiam viros iustos,& timentes Deum tam multa perpessos legimus, vt a Deo derelictos aliquis dixerit, & in eam sententiam venerit,qua diceret,super cęli cardines perambulare [e] Deũ, nec nostra considerare.

Iob.21. a ps.36. b Ierem. 12. Habacuc 1. c Iob.1. d Tob.2. e Iob. 22.

Nam hæc, & similia ijs, qui recto sunt corde, ita Deum bonum, ac prouidum manifestant, vt ex his colligant, in Deo, quem per essentiam rectũ,& iustum sciunt,bonitatem esse, atque prouidentiam: quippe qui alio iudicio sit discussurus opera malorum,& bonorum,atque hic purget argentum, & aurum,idest pios, iustos,ac sanctos, igne persecutionum, passionum, atque dolorum; vt in futuro sæculo cum Angelis suis habeant ea bona, quæ [f] oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor Hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se: quibus hæc omnia comparata, quæ in hoc mundo sunt bona, [g] stercora, & detrimentum reputantur. Et ideo in Psalmo [h] dicitur. Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.

ps.16.& 65. f 1.ad corint. 2. g ad philipp.3. h ps.l. 72.

corde! Qui etiam a Deo doloribus, ac tribulationibus vexati, eidẽ tamen Deo gratias agũt: scientes [a], momentaneum hoc, & leue passionum, tribulationum, atque dolorum, æternũ gloriæ pondus in nobis operari. Quæ quidem gloria status est omnium bonorum aggregatione perfectus. Ad quem statum, qua ratione nos præordinauerit, atque decreuerit ducere Deus, sequenti capite, quod de Prædestinatione erit, explicabimus.

a 2.ad cor. 4.

Boet. lib. 3. de cõsol. prof. 2.



CAPVT

CAPVT XVI.

DE PRÆDESTINATIONE.



VPERIORI Capite actum est de Prouidentia Dei, qua in genere omnes res per participationem existentes, quæ sunt tota rerum creatarum collectio, a prima causa, quæ est per essentiam existens, in suos fines ordinantur.

Nunc de ea parte eiusdem Prouidentiæ agendum est, qua intellectualis natura in finem supernaturalem beneficijs a Deo præparatis per prædestinationem, quæ propriè est Sanctorum, dirigitur.

Id autem fiet, non vt diuinæ Maiestatis curiosè perscrutemur arcana, quæ qui superbè inquirunt, ab eadem Maiestate opprimuntur; sed, vt conditionis humanæ cognoscentes imbecillitatem, discamus subdere nos diuinæ voluntati: quæ cum omnia recta ratione velit, & operetur, ob infinitos suæ scientiæ, ac sapientiæ thesauros; non est nostrum,

a 1.ad corinth.3. [a] qui non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, Deo leges imponere; qui per essentiam suam & lex, & rectitudo est: qui cum non possit a se ipso deficere, nec a rectitudine recedere poterit. Sed nostrum est voluntatem eius, quam præceptis nobis significauit, diuinæ gratiæ auxilijs cooperando, exequi: quod, diuinorum beneficiorum misericordi præparatione cognita, nostræ nō obliti naturæ, facilius impetrabimus.

b ad Rom.9. Qui cum ex Apostolo [b] vasa lutea simus; non debemus inquirere, cur vni potius maiora beneficia, quàm alteri præparauerit: sed satagere debemus, vt diuinæ gratiæ cooperantes, Dei adimpleamus præcepta. quæ si vsque in finem perseuerātes seruauerimus; certi sumus [c], reddendam nobis esse coronam iustitiæ; qua sunt, qui vsque in finem certauerint, coronandi a iusto iudice Deo, sic enim iuxta [d] præceptum Principis Apostolorum, satagemus, vt certam faciamus electionem, & vocationem nostram. Nam cum [e] incomprehensibilia sint iudicia Dei, & inuestigabiles viæ; in obseruationem mandatorum eius currendum nobis est, & relinquendæ quæstiones, quibus arcana diuina nobis abscondita perquiramus.

c 2.Timot.4.

d 2.Petr.1.

e Rom.11.

Ne tamen, quæ per scripturas, & traditiones nobis reuelata sunt, & per Patres de æ-

terna

terna hominum prædestinatione explicata, contemnere videamur; ad ea facilius intelligenda, sequentibus quæsitis respondere conabimur: &, quæ contra responsa difficultates excitabuntur, eas diluere studebimus.

Omnis [a] enim scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus: Quod maximè est in materia de Prædestinatione necessarium; in qua ab antiquis temporibus cõtradicentes habuit Ecclesia; vt videre est apud Sanctum Iob in persona eorum Philosophorum loquentem, qui diuinam Prouidẽtiam, cuius pars est prædestinatio, negabant, dicentes; [b] Quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius; nec nostra considerat; & circa cardines cæli perambulat.

a 2. Timot. 3.

b Iob. 22.

Vt autem ea, quæ de prædestinatione explicanda sunt, intelligantur;



QVAERITVR PRIMO VTRVM HOMINES PRÆDESTINENTVR A DEO?



NTEQVAM Quæsito respondeatur; Sciendum est, ratione nostri modi concipiendi, qui inadæquatè, & pluribus conceptibus concipimus diuinam essentiam, æquiualentem pluribus, atque infinitis ferè perfectionibus, quæ in natura creata distinctæ sunt; nos plures vel in Dei voluntate, vel intellectu concipere actus, ratione diuersorum obiectorum.

Sic ergo in prædestinatione plures concipimus actus.

Primò. Dilectionem, qua Deus vult prædestinatis vitam æternam; iuxta illud [a]; Complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.

a Luc. 12.

Secundò. Electionem ad gloriam, qua aliquibus præ cæteris vult vitam æternam; quam electionem innuunt Apostoli verba [b]. Vt secundum electionem propositum Dei maneret.

b ad Rom. 9.

Tertiò. Ordinem mediorum in mente di-

uina præexistentem, quo dilecti, & electi in vitam æternam diriguntur: quem actum asserit Sanctus Augustinus [a], esse præscientiam, & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.

a de dono perseuerantię cap. 14.

His positis,

Respondeo. Et Dico primò; Homines prædestinari a Deo; si prædestinatio pro dilectione sumatur.

Probatur. Quia diligere [b] est velle alicui bonum.

b 1. Th. p. p. qu. 23. art. 3.

Sed Deus vult Hominibus vitam æternam, quæ est summum bonum: [c] vult enim omnes Homines saluos fieri.

c 1. Timoth. 2.

Ergo, si prædestinatio pro dilectione sumatur; Homines prædestinantur a Deo; cum ab eo diligantur: & præsertim electi, qui ex massa perditionis diuina misericordia educti, per infallibilia media in vitam diriguntur æternam.

A Deo autem diligi Homines, expressa scripturæ loca manifestant [d]. Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Quod si Deus diligit omnia, quæ fecit, quia vti explicat Sanctus Thomas [e], vult illis aliquod bonum, saltem naturæ bonum, quod condidit, multò magis diligit illos, in quos tot contulit beneficia, vt eos redimeret a peccatis, & ad vitam duceret; ad quos a morte peccati liberan-

d sap. 11.

e p. p. q. 23. art. 3.

a ad Galat. 4.

b 1. Ioan. 4.

c 2. ad Corint. 5.
d S. Augu. ſer 6. de verb. Apoſtol.

berandos, miſit [a] filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperent. Quem miſit Deus [b] propitiationem pro peccatis. Qui factus eſt pro nobis [c] peccatum; ideſt [d] hoſtia pro peccatis, vt nos redimeret a peccatis. Qui propter nos Homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis:

De quo Redemptore, ac Saluatore locutus eſt Deus in Scripturis per Patres, & Prophetas, qui annuntiauerunt nobis de aduentu Chriſti.

Quæ omnia immenſi, atque excedentis diuini amoris ſunt ſignum.

Euidens ergo eſt ex ſcripturis, Homines a Deo diligi, qui propter ipſos tam multa, & mirabilia operatus eſt.

Dicendum ſecundò; ſi prædeſtinatio accipiatur pro electione, Homines prædeſtinari a Deo.

Conſtat ex multis ſcripturæ locis. In quibus habemus.

e Matth. 20. 22.

f Matth. 24.

g Marc. 13.

ibidem.

[e] Multi ſunt vocati, pauci verò electi.

[f] Propter electos breuiabuntur dies illi.

[g] Tunc mittet Angelos ſuos, & congregabit electos ſuos a quatuor ventis.

[h] Sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies.

Quis

[a] Quis accusabit aduersus electos Dei? a ad Rom.8.

[b] Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. b ad Ephes.

[c] Induite vos ergo sicut electi Dei. c ad coloss 3.

[d] Nos autem debemus gratias agere Deo sẽper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus. d 2.ad Thess. 2.

[e] Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur. e 2.ad Timot.2.

[f] Apostolus IESV Christi secũdum fidem electorum Dei. f ad Tit. 1.

[g] Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. g 1. Petr.2.

[h] Quoniam Dominus Dominorum est; & Rex Regum, & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles. h Apoc.17.

Cum ergo Homines eligantur a Deo; ab eo prædestinantur, si prędestinatio pro electione sumatur.

Dicendum tertiò; si prædestinatio accipiatur pro præparatione beneficiorũ Dei in mente diuina præexistente, quibus infallibiliter saluantur, quicunque saluantur; Homines prædestinari a Deo.

Probatur. Quia ad primam causam per essentiam existentem, pertinet omnes res in suos dirigere fines.

Ergo ad illam maximè pertinebit dirigere,

&

& ducere intellectualem naturam in suum supernaturalem finem.

Non potest autem, nisi habeat in se ipsa cognitionẽ, & ordinem beneficiorum, quæ ab æterno præparauit electis, per quæ sunt in vitam æternam traducendi, seu transmittendi.

Ergo Homines prędestinantur a Deo; si nomine prædestinationis intelligamus præparationem beneficiorum Dei, in diuina mente præexistentem; quibus infallibiliter electi Homines in vitam æternam diriguntur, & ducuntur.

Præparasse autem, & præordinasse Deum ab æterno dare nobis Redemptorem, in quo, & per quem saluantur Homines; iusti Simeonis verba [a] clarè demõstrant; [b] per quẽ cum accessum habeamus per fidem ad gratiam, & ad omnia dona, quibus ducimur in vitam æternam; in æterna eius præparatione præparauit nobis ea, per quæ essemus vitam ęternam consequuturi.

a Luc. 2.
b ad Rom. 5.

Quod etiam docet Apostolus ad Ephesios [c]. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo IESV in operibus bonis, quæ præparauit Deus; vt in illis ambulemus.

c cap. 2.

Similia habet ad Rom. 9. & 2. ad Corin. 10.

Patet ergo Homines prædestinari a Deo; siuè prædestinatio accipiatur pro dilectione; siue pro electione; siue pro diuinorum benefi-

cio-

ciorum in mente diuina præexistenti præparatione, quibus ita prædestinati in vitam diriguntur æternam, vt per ea infallibiliter saluentur.

OBIICIES.

Illi prædestinantur, qui in mente diuina præordinantur, & prædeterminantur per beneficia a Deo ipsis præparata, habituri, & consequuturi gloriam.

Sed ex Damasceno [a]; Homines non prædeterminantur, sed præcognoscuntur tantum. a Lib. 2. orthod. fid. c. 30. in princ.

Ergo non prædestinantur, si non prædeterminantur.

Respondetur, ex Sancto Thoma [b], Sanctum Damascenum negasse diuinam prædeterminationem, qua necessitas antecedens imponatur prædestinatis ad operandum opera virtutis, & iustitiæ; nō autem negasse præparationem, & prçordinationem beneficiorum Dei in mēte diuina ab æterno præexistentem, & decretum diuinæ voluntatis, quo ante sæcula decreuit, & prædeterminauit dare prædestinatis auxilia gratiæ, quibus liberè cooperando prædestinati, infallibiliter essent vitam çternam consequuturi. b p.p.q.23.ar.1.

Hi autem actus, quibus Deus & decreuit dare gloriam, & præparauit, ac præordinauit

media, quibus electi essent gloriam consequuturi; non possunt formaliter prædeterminare Hominem ad operandum. Non enim sunt hi actus forma existens in prædestinato; sed sunt in mente diuina, & sunt Deus: cum quicquid est in Deo, sit per essentiam existens, & Deus, qui nullius rei potest esse intrinseca forma [a].

a S. Tho. p.p. q.3.

Ergo non possunt hi actus, qui sunt æterni, & Deus ipse, formaliter prædeterminare Hominem ad operandum.

Si ergo prædeterminarent, causaliter tantũ prædeterminarent: quod contingeret, quando ex vi æterni sui decreti confert Deus in tempore prædestinatis auxilia gratiæ ad disponendum, & præparandum se ad gratiam, si in peccatis fuerint; vel ad opera iustitiæ exercenda, quibus & gratiam, & gloriam mereantur, si iam iusti fuerint per inhabitantem sibi, & inhærentem gratiam.

At quando auxilia gratiæ, etiam efficacia conferuntur, nullam imponunt antecedentem necessitatem ad operandum; vt patet ex Concilio Tridentino [b]; & nos infra fusius explicabimus.

b Sess.6.cap.5.

Ergo prædestinatio neque formaliter, neque causaliter antecedentem imponit necessitem prædestinatis ad operandum: quod tantum intendebat S. Damascenus.

Antequam autem hanc quæstionem explicemus,

cemus, prius quæremus, quid ſit prædeſtinatio; quod facilè intelligemus, ſi explicuerimus, cuius potentię illa ſit actus, intellectus ne, an voluntatis.

QVÆRITVR SECVNDO VTRVM PRÆDESTINATIO SIT ACTVS DIVINI INTELLECTVS, AN VOLVNTATIS.



RESPONDEO; Dicendum primò. Si prædeſtinatio accipiatur pro dilectione, & electione; eſt diuinæ voluntatis actus.

Conſtat. Quia [a] diligere eſt velle alicui bonum; & eligere eſt præ cæteris velle bonum alicui.

[a] S.Tho.p.p.q.23. art.3.

Sed velle eſt actus voluntatis.

Ergo prædeſtinatio, ſi accipiatur pro dilectione, & electione, eſt diuinæ voluntatis actus.

Dicendum ſecundò. Si prædeſtinatio accipiatur pro ea parte prouidentiæ, qua electis a Deo præparantur, & præordinantur in mente diuina media, & beneficia, quibus prędeſtinati debent conſequi vitam æternam; eſt actus diuini intellectus.

 Patet.

a 1. Tho. p. p. q. 22. art. 1.

Patet: Quia [a] prouidentia est actus intellectus.

b 1. Tho. p. p. q. 23

Ergo & prædestinatio, quæ est pars, seu species [b] prouidentiæ; est actus intellectus, quatenus est præparatio, & pręordinatio diuinorum beneficiorum in diuina mente ab æterno præexistens.

Cum autem hi omnes actus, dilectio scilicet, electio, & præparatio beneficiorum Dei ad prædestinationem necessarij sint; dicerem, electionem, & dilectionem fundamentaliter esse prædestinationem: ipsam verò præparationẽ, & pręordinationem beneficiorum Dei in diuina mente præexistentem, qua electis pręparantur media, & beneficia, quibus consequuntur vitam æternam: esse formaliter ipsam pręde-stinationem.

c Tom. 4. cōtrou. lib. 2. de gratia, & lib. arbitr. cap 9.

Idq; videtur probari ex plenissima illa pręde-stinationis definitione, quam ex Sancto Augustino tradit Cardinalis Bellarminus [c]. Prędestinatio est Prouidentia Dei, qua certi Homines ex massa perditionis misericorditer selecti per infallibilia media in vitam diriguntur ęternam.

In qua definitione dicitur prędestinatio esse prouidentia: quod signum est prędestinationi essentialiter conuenire, vt sit prouidentia; & per cōsequens formaliter; dilectionem autem, & electionem esse fundamentum, & (ratione

nostri modi concipiendi) causam, cur dilectis, & electis in mente diuina pręparentur media, quibus in vitam æternam dirigantur.

Quare formaliter prędestinatio, cũ sit prouidentię actus, pertinebit ad intellectum; & fundamentaliter ad voluntatem: quia dilectio, & electio est quodammodo virtualiter fundamentum, & causa, cur dilectis, & electis pręparentur in mẽte diuina media, quibus vitam ęternam consequantur. Vnde Sanctus Augustinus [a] vocat prædestinationem, pręscientiam, & præparationem. Cũ autem possit dictũ Sãcti Doctoris accipi formaliter; & grauissimi, atq; doctissimi Theologi hoc idem asserant, & pręcipuè Sanctus Thomas [b], cum tota eius Schola; ita accipi congruum erit.

a Lib de don. perseu. c. 14 & 17.

b s. Tho. p p. q 23. art. 1. 2. & 3.

Formaliter ergo prędestinatio est actus intellectus, & fundamentaliter voluntatis.

Ex dictis igitur constat, qua ratione satisfaciendum sit quęsito, quo quęritur, quid sit prędestinatio. Est enim prædestinatio, pręscientia, & pręparatio beneficiorum Dei, qua dilecti, & electi a Deo per infallibilia media in vitam diriguntur æternam.

QVAE-

QVÆRITVR TERTIO AN PRÆDESTINATIO CAVSALITER IMPONAT NECESSITATEM ANTECEDENTEM PRÆDESTINATIS AD OPERANDVM.



VPRA explicatum est, qua ratione prædestinatio, cum sit actio immanens, qua Deus aut diligit prædestinatos, aut ad gloriam eligit, aut in mente sua præparat, & præordinat illis media, & beneficia, quibus vitam æternam consequuntur; non sit forma existens in prædestinatis, illos formaliter prædeterminans, ac necessitatem antecedentem ad operandum imponēs: cum sit Deus ipse per essentiam existens, qui nullius rei potest esse forma [a] intrinseca.

a S. Tho. p. p. qu. 3.

Nunc videndum est (quod etiā supra obiter attigimus); An prædestinatio saltem causaliter necessitatem antecedentem prædestinatis imponat: idq; sciemus, cum cognouerimus, an media, & beneficia prædestinatis ab æterno in mente diuina præparata, quando in tem-

tempore conferuntur, antecedenti neceſſitate prædeterminent prædeſtinatos ad operandum.

Reſpondetur quæſito; dicendum.

Prædeſtinatio non eſt ita cauſa vocationis, & ſupernaturalium auxiliorum, : vt antecedentem neceſſitatem imponat prædeſtinatis ad operandum, vel diuinæ gratiæ auxilijs cooperandum.

Probatur. Nam prædeſtinatio ita ſumpta diceretur antecedentem neceſſitatem imponere prædeſtinatis, ſi vocatio, ſeu ſupernaturalia auxilia, quando prædeſtinatis conferuntur, illos neceſſitate antecedenti prædeterminarent ad operandum.

Sed ex Concilio Tridentino [a], quando peccatores adulti a Deo præueniente gratia per IESVM Chriſtum data, vocantur, & excitantur ad ſuam ipſorum iuſtificationem; ita ad eam diſponuntur; vt liberè aſſentiantur, & cooperentur diuinæ gratiæ auxilijs. a ſeſſ.6. cap 5.

Ergo prædeſtinatio non eſt ita cauſa vocationis, & ſupernaturalium auxiliorum, vt antecedentẽ neceſſitatẽ prædeſtinatis ad operãdũ, vel diuinæ gratiæ auxilijs cooperãdũ imponat. Nã tangẽte Deo cor Hominis per Spiritus Sancti illuminationem, ita ille inſpirationem recipit, vt abijcere poſſit; licet ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam non poſſit,

libera

libera sua voluntate: indiget enim (vt patet ex eodem Concilio[a]) præueniente gratia Dei: quæ non est beneficium creationis tantum, per quã liberum arbitrium receptum est; vt volebant Pelagiani: nec est sola exterior doctrinæ legis propositio: sed interna mentis illuminatio, cũ pia voluntatis affectione; quibus ita Deus mouet cor Hominis, vt adiuuet quidem, & eleuet humanam mentem, vt possit peccatum cognoscere, ac detestari, sicut oportet; & velle, atque operari bonum; non tamen ita, vt necessitate antecedenti prædeterminetur peccator ad conuertendum se ad Deum, a quo per peccatum auersus erat: [b] potest enim inspirationem illam abijcere. Sicuti quando homo iam iustus est per gratiam iustificantem sibi inhærentem, vt operetur opera digna vitæ æternę, quamuis diuinæ gratiæ auxilijs indigeat; non tamen illis prædeterminatur antecedenti necessitate ad operandum.

a loc. cit.

b conc. trid.

Idq. rationi maximè consentaneum est. Nam cum Deus vocans peccatores, sit ens per essentiam existens, in quo est infinitus thesaurus scientiæ, sapientiæ, atque potentiæ; quemadmodum in finem supernaturalem, qui est vita æterna, potuit misericordia sua destinare homines; ita nouit, ac potuit præordinare ab æterno gratiæ suæ auxilia; quæ in tempore data, eleuarent liberum hominis arbitrium ad conuer-

uertendum se ad Deum, neque illud destruerent, sed perficerent; quod verum est etiam de homine iusto, cui ita dantur diuina auxilia ad operandum; vt nulla antecedenti necessitate eum prædeterminent ad operādum, ex eodem Concilio Tridentino sess. 6.

Patet ergo ex dictis, neque formaliter, neq; causaliter per diuinam prædestinationem imponi necessitatem antecedentem prædestinatis ad disponendum se per auersionem a peccato, & conuersionem ad Deum, ad gratiam, & iustitiam recipiendam, si in peccatis fuerint: vel ad operandum opera digna æternæ retributionis, & gloriæ; si iam per inhabitantem, & inhærentem sibi gratiam per Christum datam, iusti, sancti, & amici Dei facti fuerint.

Nam cum prædestinatio, vti dictum est, sit actus diuinæ voluntatis, aut intellectus; non potest esse forma intrinsecè afficiendo prędeterminans voluntatem creatam: hoc enim est contra rationem actus puri per essentiam existentis: qui nec componi ex alijs, nec in cęterorum compositionem venire potest vti pars, vel forma, vt patet ex dictis supra [a]. Et est Sancti Thomæ doctrina [b] communiter recepta.

Verum neque etiam causaliter, quando in tempore vocat Deus peccatores per excitātem, & adiuuantem gratiā, (vti dictum est ex Concilio Tridentino [c]) necessitate antecedenti

a cap. 2. de Simplicitate Dei.
b p. p. q. 3.
c sess. 6. cap. 5.

Nn præ-

prædeterminat voluntatem ad assentiendum. Quod idem contingit, quando sanctos, & iustos mouet ad operandum per excitantem, & adiuuantem gratiam.

Quare neque formaliter, neque causaliter prædestinatio imponit necessitatem antecedentem ad operandum prædestinatis.

Quod vt rationi consentaneum, & scripturis expressum, etiam in Prouinciali Concilio Senonensi [a] contra VViclefum, & Lutheranos statutum, ac declaratum est. Cuius verba huc transferenda censui: cum totum id, quod quærimus, & quæsito respondentes diximus, apertè confirment.

a Decret. Fid. 15. Tom. 4. conc general. & prouinc. p. 2. ann. Dom 1528.

Et si nulla penè sit tam aperta catholica veritas, nullus tam manifestus Sacræ Scripturæ locus, quem non hæretici suis cauillis, & tergiuersationibus eludant: nulla tamen in re tam impudenter, tantaq. rei Christianæ iactura debacchati sunt, quàm in exterminando, profligandoque libero arbitrio. Nam quid Christi fidelibus perniciosius excogitare potuit hostis ille veritatis, quàm si vel a Pelagio seducti, omnia sine præsidio gratiæ sibi tumidius arrogent, vel fatiscenti, pusilloq. animo, cum VVicleffo, necessitati, fatisq. committant omnia? Nihil profectò reliquum erit, tum diuinis legibus, tum humanis: nullus consilijs, aut electioni, nullus precibus, aut obiurgationi cæte-

risq; id genus locus? nulla denique iustitia futura est, qua quibusdam pœnæ, quibusdam constituta sint præmia: si pro VVicleſij & Lutheranorum sententia, omnia de necessitate eueniant.

Prodierat hic error primum apud Gentiles; sed summo omnium consensu mox explosus est: adeo liberum esse arbitrium, velut euidenti quodam experimento cognitum, omnium mentibus sese inculcat. Cum igitur [a] reliquerit Deus hominem in manu consilij sui, apposueritq. coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum; vt ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam: nec ab re [b] beatus ille dicatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit: quod [c] sub eo sit appetitus eius, & dominetur illius: ac denique percurrenti Sacram Scripturam passim obuium sit, quod liberum vtramuis in partem hominis arbitrium asseueret: satis esse visum est sacro Prouinciali Concilio libertatis huiusmodi vires, & metas exponere.

a Eccl. 15.
b Eccl. 31.
c Gen. 4.

Neque enim liberum arbitrium asserentes diuinam excludimus propterea gratiam: quod illi falsò toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perstringere. Sed iuxta Sacram Scripturam eò extendimus, vt voluntas humana misericordiæ præuenientis auxilio suffulta, & inte-

 riori

riori quodam, & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contacta, ſeſe conuertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam ſe præparet, qua tandem accepta ſit ad vitam æternam.

Iacob. 4. Zacch. 1. 1. Reg. 17. Amos. 5.

Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero prǽiudicat arbitrio: cum illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prǽtereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet; cui ſi quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo: Nec denique tale ſit huiuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hieruſalem, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluerunt? Fruſtra certè Stephanus Iudǽos durǽ ceruicis, & incircumciſi cordis argueret, qui ſemper Spiritui Sancto reſiſterent. Fruſtra Paulus Theſſalonicenſes admoneret ſpiritum ne extinguerent; ſi diuinis inſpirationibus homines ineuitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus, ſed in eius odorem currimus. Non vi, non vnco raptamur. Prǽdeſtinat, eligit, vocat, ſed eos demum adultos glorificat, qui in fide, & charitate radicati per bona opera, certam ſuam vocationem electionemq. fecerint. Et licet attingat a fine vſque ad finem fortiter, diſponit tamen omnia ſuauiter.

Apoc. 3. Matth. 23. act. 7. 1. Theſſ. 5. cant. 1. 2. Petr. 1. Sap. 8.

Hanc igitur hǽreſim, arbitrij libertatem

prorſus

prorsus auferentem, non tam damnamus; quippe quæ iam olim ab Ecclesia, & sacrosanctis Concilijs damnata sit; quam communi hominum conceptioni, & apertis scripturæ testimonijs declaramus esse contrariam. conc.carth.4.c.1. sext. synod. constan.sess.8.

Hucusque Concilium Senonense.

Quod si dicas, a Deo non posse dari huiusmodi supernaturalia auxilia, quibus liberè cooperando adiuuetur, vel eleuetur Homo, vel ad disponendum se iustificationi, seu iustitiæ, vel ad hoc, vt iustificatus Dei gratiæ cooperans, & augmentum gratiæ, & vitam mereatur æternam;

Debet assignari contradictio. Sic enim negaretur Dei omnipotentia, a quo, cum sit ens per essentiam existens, necesse est posse fieri, quicquid non implicat cõtradictionem.

Quod si potuit, sciuit etiam. Nam necesse est a Deo cognosci, quicquid habet rationem entis, & veri, eo modo, quo habet rationem entis, ob eandem rationem.

Videndum igitur est; an voluerit.

Voluisse autem, constat ex scripturis, Concilijs, ac rationibus supra adductis; & præterea ex ijs omnibus scripturæ locis, in quibus præcipit Deus, vt eius præcepta impleamus; & non implentibus gehennam comminatus, rectè operantibus, vitam æternam promittit.

Matt. 10. 19 & 25. Luc. 10. Ioan. 15. Rom. 2. & 11. Apoc. 3.

OBII-

OBIICIES I.

Necesse est, prædestinatos saluari. Ergo necesse est opera digna vita æterna operari.

Sed quod necessitate fit, non liberè fit.

Ergo prædestinati non liberè efficiunt opera, per quæ aut iustificantur, aut iustificati augmentum gratiæ, & vitam æternam merentur.

Respondeo, distinguendo. Necesse est, prædestinatos saluari per opera, ad quæ antecedenti necessitate sint prædeterminati, antequam operentur; negatur. Necesse est prædestinatos saluari per opera liberè facta diuinis auxilijs per Christum datis; conceditur.

At hæc auxilia non auferunt libertatem, sed eam perficiunt, adiuuando, vt ea possit, atque operetur homo, quæ sine huiusmodi supernaturalibus auxilijs non potuisset, nec operatus fuisset.

Sed contra. Quod necessario fit dependenter ab aliquo antecedente actum potentiæ; illud necessario fit antecedenti necessitate.

Sed actus, per quos iustificantur, & gratiæ augmentum, vel gloriam merentur prædestinati, fiunt dependenter a prædestinatione, quę antecedit omnem humanam actionem: cum sit actus diuini intellectus, & voluntatis; qui

cum

cum sint per essentiam existentes, sunt æterni.
Ergo antecedenti necessitate prædestinati sunt ad operandum prædeterminati.

Respondetur. Quod dependenter fit ab aliquo antecedenti actum voluntatis; si aut formaliter prædeterminet voluntatem, aut causaliter; idest, si sit causa alicuius, quo posito necessitate antecedenti prędeterminetur voluntas ad operandum; illud necessariò fit necessitate antecedenti; conceditur.

At verò, quod fit dependenter a prædestinatione, quæ est æterna; non est ab ea tanquam a forma intrinsecè, & formaliter se ipsa prædeterminante humanam mentem, seu voluntatem: cum sit actus diuini intellectus, & voluntatis, qui cum sit immanens, & æternus, & per essentiam existens, sicut Deus, & per consequens Deus ipse; non potest esse forma alterius: atque ita nec etiam vt forma inhærens prædeterminando imponere necessitatem.

Quod verò neque etiam causaliter per beneficia, & auxilia gratiæ Christi distincta a beneficio creationis, antecedenti necessitate prædeterminetur voluntas; patet ex dictis.

Nam ita dantur auxilia gratiæ, mentis illuminationes, & inspirationes, vt illas possit abijcere [a] Homo, si velit; vt enim dictum est, potest Deus in mente sua præordinare ab ęterno,

[a] conc. trid sess 6 cap. 5.

no, & in tempore deinde dare ea auxilia, quibus cooperetur voluntas humana infallibiliter, sed liberè, non antecedenti necessitate prædeterminata.

OBIICIES II.

PRædestinatio quantum ad eius effectus esset incerta; nam posset ex dictis quilibet prædestinatus non cooperari omnibus, & singulis beneficijs, siue auxilijs, quibus vel iustificatur, vel vitam æternam consequitur. Quod si contingeret; effectus prædestinationis non essent certi, & non essent infallibilia media, quibus prædestinati in vitam diriguntur æternam. Nec necesse esset prædestinatum saluari: nam posset gratiæ Dei non consentire, & auxilijs eius non cooperari, & sic culpa sua damnari.

Respondetur, non futuros incertos prædestinationis effectus, si loquamur primò de ijs effectibus, qui a Deo sunt, vt sunt vocatio, & supernaturalium auxiliorum efficacium donatio: nam hi effectus non dantur dependenter a liberæ voluntatis arbitrio; sed ex mera Dei liberalitate: sunt enim opus, non volentis, aut a ad Rom. cap. 9. currentis Hominis, sed miserentis Dei. Quibus auxilijs liberè cooperatur prædestinatus, nulla necessitate antecedenti prædeterminatus; qui

qui cum sit etiam infallibiliter, sed liberè diuinæ gratiæ cooperaturus, quod Deus potest facere, & cognouit; non sequitur incertos esse, etiam illos effectus prædestinationis, qui fiunt dependenter ab operatione libera prædestinati, qua consentit diuinæ gratiæ, & ab eadem gratia adiutus, excitatus, & motus liberè illi cooperatur.

Et, si aliquando non consentiendo diuinæ gratiæ, peccet, ac non obediẽdo diuinis præceptis, a Deo, a quo per peccatum recessit, deseratur ob propriam culpam ad tempus; miserentis tamen Dei beneficio, & efficaci vocatione excitatus, & vocatus, liberè, sed infallibiliter diuinæ gratiæ auxilijs cooperando, recedit a peccato, & liberè conuertitur ad Deum, quem sua culpa deseruerat; idq; toties, quoties opus est, vt a culpa resipiscat, & tandem in statu gratiæ ex hac vita decedat.

Quod totum Deus & præcognouit, & præordinauit electis; sed ita, vt semper diuinæ gratiæ auxilijs liberè cooperetur prædestinatus. Nam omnis adultus diuinæ gratiæ auxilijs liberè consentiendo, recedit a peccato, & conuertitur ad Deum, & iustificatur, & coronam iustitiæ, quæ est vita æterna, per opera bona, postquam iustus est, auxilijs gratiæ liberè facta, meretur.

Quare non est incertus, neque fallibilis

prædestinationis effectus, licet diuinæ gratiæ auxilijs semper liberè cooperetur prædestinatus.

OBIICIES III.

NEcesse est, prædestinatum saluari. Ergo necesse est, eum diuinæ gratiæ auxilijs cooperari? nam non saluaretur, si non benè operaretur?

Respondetur; Necesse est, prædestinatum saluari per opera, ad quæ necessitate antecedenti sit prædeterminatus; negatur. Necesse est, prædestinatum saluari per opera, quæ facturus est liberè, sed infallibiliter, & dependenter a diuinæ gratiæ efficacibus auxilijs; conceditur. Non enim saluatur ex eo, quod diuinæ gratiæ auxilijs necessitate antecedenti prædeterminatus, cooperetur. Sed quia in omni opere bono liberè, quamuis infallibiliter Deo vocanti, excitanti, & supernaturalibus gratiæ auxilijs adiuuanti, benè operando consentit; nec diuinas abijcit inspirationes; quas [a] abijcere posset, illis non cooperando.

[a] Conc. Trid. sess. 6. cap. 5.

Verum hoc non destruit libertatem; sed eam adiuuando, perficit: cum det voluntati actu operari, id quod sine gratiæ auxilijs operari non poterat, nec operatura fuisset.

Idq;

Idq; totum facilè intelligetur, si in memoriam reuocetur id, quod dictum est; Deum, scilicet, sicut potuit, & sciuit, ita electis diuina beneficia præparasse, vt in tempore collata non auferrent libertatem, sed eam eleuando perficerent.

QVÆRITVR QVARTO VTRVM HOMINES PRÆDESTINENTVR OB PRÆVISA MERITA.



VÆSITO superiori explicatum est, quomodo prædestinatio necessitatem non imponat prædestinatis cooperandi diuinis gratiæ beneficijs, seu auxilijs, quæ Deus ab æterno præparauit prædestinatis, & in tempore confert, dum eos vocat, excitat, & adiuuat, vt vel iustificentur, vel iam iustificati, diuinæ gratiæ auxilijs cooperando, per opera bona, & augmentum gratiæ, & vitam æternam mereantur.

Nunc videndum est; an, quemadmodũ ex meritis tanquã corona iustitiæ redditur merces, quæ est vita æterna; ita etiã ex meritis homines eligantur ad gloriam, & beneficia Dei,

ob præuisa electorum merita eisdem præparentur.

Quæsito Respondetur, Dicendum primò. Nemo potuit, antequam esset electus ad gloriam, mereri, vt ad illam eligeretur ex meritis electioni præexistentibus.

Probatur. Quia electio est æterna.

At nulla creatura est æterna.

Ergo nulla creatura, antequam eligeretur ad gloriam, potuit mereri, vt ad illam eligeretur.

Et quod dictum est de electione, dicitur etiam de præparatione mediorum, ac beneficiorum in mente diuina præordinatorum, quibus infallibiliter in vitam æternam dirigendi sunt prædestinati.

Nam etiam illa præparatio, & præordinatio est æterna: nec potest ante se presupponere bona opera prædestinatorum, quæ in tempore tantum fiunt. Præparatio enim illa diuinorum beneficiorum est diuinæ Prouidentiæ actus, per essentiam existens; & per consequens æterna.

Dicendum secundò. Neque etiam quis potuit mereri, vt prędestinaretur ex operibus, quæ anima operata sit, antequam corpori coniungeretur.

Probatur, quia ante corporis vnionem non præexistit anima[a], sed simul a Deo creata,

[a] concil general. & prouinc. to. 2. p. 2. in Quinta synod. gener. & to. 3 par. 1. sect. 1. in 6. synod general. action. 11.

ta, vnitur corpori.

Dicendum tertiò; neminem prædeſtinari a Deo ex bonis operibus præuiſis, quæ ante gratiá quis facturus eſſet, ſolis naturæ viribus.

Probatur. Opera ante gratiam facta ſunt naturæ opera, quæ ſunt a nobis quaſi ex nobis.

At a nobis quaſi ex nobis nihil poſſumus operari, vel quod ad gratiam immediatè diſponat, & præparet; vel quo vitam æternam mereamur.

Ergo neque etiam ex operibus proprijs mereri poſſumus vt eligamur ad gloriam, vel vt præparentur nobis beneficia a Deo ab æterno, quibus in tempore vitam æternam conſequeremur: cum [a] non ſimus ſufficientes cogitare aliquid nobis quaſi ex nobis, independenter a diuinæ gratiæ beneficijs, & auxilijs. Si enim homo mereretur prædeſtinationem, nihil impediret, quo minus omnes etiam prædeſtinationis effectus mereri poſſet, vt vocationem, ſeu ſupernaturalia gratiæ auxilia, per quæ ad primam gratiam iuſtificantem diſponitur, & ipſam quoque iuſtificantem gratiam. Quj eſt error Pelagij; & Cœleſtij, damnatus in Concilio Carthaginenſi [b], Senonenſi [c], & Tridentino [d].

Eſt ergo electio, & prædeſtinatio opus miſerentis Dei, non autem volentis, & currentis Hominis, qui ſine gratiæ auxilijs operando po-

a 1. corin. 3.

b Tom 1. concil. gen. & prouinc. in conc. carthag pro uin con. pelag & cœleſtium ſub Innoc. I. ann. Dom. 416.

c in decr. Fid. 25.

d seſſ. 6.

potuerit, vt electus esset ad gloriam, vel vt preparata sibi essent ab æterno in mente diuina, beneficia, quibus in tempore datis, consequuturus esset vitam æternam.

Nam natura ipsa, nisi eleuetur ad opera supernaturalia diuinæ gratiæ auxilijs, quæ per Christum dantur; non est sufficiens, & proportionatum principium efficiendi opera supernaturalia immediatè, vel proximè dispo-nentia ad gratiam, vti est exempli causa, contritio; vel opera digna præmio supernaturalis ordinis; qualis est gratia, & gloria.

2. corin. 3. Cōc. Carthag. cō. pelag. & Celest. Conc. Trid. sess. 6. Conc. senon. in decret. Fid. 15.

Dicendum quartò. Deus eligit Homines ad gloriam dandam dependenter ab operibus factis auxilijs gratiæ Christi.

Probatur. Nam eo modo prædestinantur, & eliguntur Homines ad gloriam consequendam, quo modo illam consequuntur.

Sed illam consequuntur dependenter ab operibus factis auxilijs gratiæ Christi; aliàs non esset corona iustitiæ, & merces; vt scriptura docet[a].

[a] 1. ad Tim. 5. 2. ad Tim. 4. Iacob. 5. 1. Ioan. Apoc 22.

Ergo eliguntur, & prædestinantur Homines ad gloriam consequendam per opera facta auxilijs gratiæ hominibus per Christum concessis.

Idq. de Adultis. Nam pueri ante vsum rationis, qui saluantur; eliguntur, & prædestinantur ad gloriam sibi dandam per merita

Christi,

Chriſti, eis per Baptiſmi gratiam applicata; abſque vllo ipſorum merito, & ſine actuali præparatione, qua ſe ipſos præparent, aut diſponant ad ſuam ipſorum iuſtificationem, cooperando auxilijs gratiæ Chriſti; per quæ ad eam diſponantur.

Quod non contingit in Adultis, qui ſe diſponunt, & præparant, cooperantes auxilijs gratiæ Chriſti; quæ non ſunt ſolum beneficiũ creationis, & legis, aut præceptorum tantum exterior propoſitio, aut doctrina; vel etiam Chriſti exemplum: ſed ſunt actualia auxilia gratiæ ſupernaturalia, ſeu internæ illuminationes, & inſpirationes per Chriſtum datæ, quibus cooperando, aut Homo non iuſtificatus; peccatum vti oportet deteſtando, iuſtificatur; aut ſi iam iuſtificatus eſt; ad benè operandum excitatur, & adiuuatur ita, vt poſsit operari, & operetur opera digna vitæ æternæ.

Non tamen ex eo, quod quis electus, vel prædeſtinatus eſt ad gloriam conſequendam per merita, ſequitur eum meritum eſſe, vt eligeretur, vel prædeſtinaretur ad gloriam. Nam hoc non eſt opus hominis[a] currentis, aut volentis, ſed Dei miſerentis, qui, antequam quicquam boni, aut mali faceremus, elegit nos.

a Rom. 9.

Quinimo cum eſſemus, ſaltem per peccatum originale præuiſum, in maſſa perditionis conſtituti, ex qua non poteramus exire operi-

bus

bus factis naturæ viribus; Deus eligens nos ad gloriam consequendam per merita, voluit in executione esse meritum Hominis id, ad quod sua gratia, ac misericordia elegit; ut esset in tempore opus etiam iustitiæ consequutio gloriæ, ad quam electio ab æterno fuit opus tantum misericordiæ.

Quod idem etiam de æterna beneficiorum Dei præparatione, ac præordinatione dicendum est.

OBIICIES I.

Gloriam consequimur diuinæ gratiæ auxilijs per Christum concessis; quæ non sunt opus volentis, aut currentis hominis, sed Dei miserentis.

Ergo vita æterna, seu gloria datur ex misericordia, non ex iustitia.

Ergo non sumus electi ad gloriam consequendam per merita.

Respondetur. Licet vocatio, & supernaturalia Dei auxilia, seu mentis illuminationes, & internæ inspirationes, quibus non iustificati se præparant, ac disponunt ad suam ipsorum iustitiam, vel iam iusti per gratiam sibi inhærentem, operantur opera digna vitæ æternæ, sint opus Dei miserentis; adhuc tamen cooperari diuinæ gratiæ auxilijs, est opus etiam Hominis

liberè

liberè diuinæ gratiæ auxilijs consentientis, & cooperantis ita, vt sit simul opus hominis consecutio gloriæ, & præparatio ad gratiam, cuius electio, & vocatio, seu supernaturalia Dei auxilia fuerint opus tantum miserentis Dei. Nam nemo aut electionem ad gloriam, aut auxilia gratiæ, quibus ad iustitiam, seu gratiam primam se præparat Homo, mereri potest: principium enim meriti, quod est prima gratia, non cadit sub meritum: & multo minus cadunt sub meritum auxilia gratiæ, per quæ se homo disponit ad gratiam consequendam: cum ante illa auxilia nihil aliud præcedat, nisi natura cum potentijs naturalibus, intellectu scilicet, & voluntate, per quæ Homo gratiæ auxilijs destitutus, non est sufficiens cogitare aliquid a se quasi ex se.

Quod si dicas; Velle mihi adiacet, ex Apostolo [a]; perficere autem non inuenio. Cum autem principium omnium bonorum operũ sit voluntas, seu velle bonum; Sequitur, initium bonorum operum esse a nobis; & per consequens nos esse ex nobis sufficientes ad inchoanda bona opera. Cum enim nullum bonum opus sit, quod initium non habeat a bona voluntate, quæ est radix, origo, & principium omnium humanorum actuum, quibus præmium, aut pœnam meremur; sequitur, principium omnium bonorum operum, quod

a Rom. 7.

est velle bonum, esse a nobis.

Si ergo velle bonum nobis adiacet, a nostris naturæ viribus, non modo erit principium bonorum operum; sed etiam totum id, a quo omnis humanus actus, seu operatio denominatur bona; scilicet, velle bonum, sine quo nihil boni est reperire in humanis actibus præmio dignum.

Respondetur, velle bonum adiacere nobis; non viribus naturæ tantum, sed diuinis gratiæ auxilijs per Christum datis; non autem sine ipsis; si loquamur de voluntate, qua volumus bonum vita supernaturali dignum; vel ad iustitiam præparante, ac disponente.

Quod si vlterius dicas; Diuinæ gratiæ auxilijs possumus, non solum velle bonum, sed etiã perficere. Nam, qui cœpit[a] in nobis per bonam voluntatem opus, dat etiam perficere. Nisi enim quis derelinquat, quod incepit bonũ; gratia Dei neminem deserit: quæ antecedit, comitatur, & subsequitur opus bonum: & dependenter a qua, non solum possunt homines perficere, sed etiam de facto perficiunt, quicũque opus bonum operantur, vel vsque in finẽ in bonis operibus perseuerant.

a ad Philipp. 1.

Respondetur; verum esse per gratiam Dei, quę per Christum datur, habere nos non solum velle, sed etiam perficere posse.

Quia tamen facilius est nobis velle bonum,

gra-

gratia Dei adiutis, quàm illud exequi; cùm maiores sint difficultates, etiam post gratiæ dona in bono opere exequendo, quàm in proposito exequendi, vel consensu ad operandum; vt vnusquisque in se experitur:

a S. Aug. lib. 1 ad simplician q 1. to. 4 & in lib. soliloquiorum ca. 24. & 25.

Hinc est, quod Apostolus dixerit;[b] Velle mihi adiacet, idest post diuinæ gratiæ auxilia in consensu ad bonum præstando, non eam difficultatem inuenio, quæ me in exequendo, & perficiendo ab opere aut reuocat, aut retardat.

b ad Rom. 7.

Nunquam verò absque diuinæ gratiæ auxilijs, dixit, velle bonum sibi adiacere. Qui dixit;[c] Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. Et[d] Gratia Dei sum id, quod sum.

c 2 Cor. 3.
d 1. Cor. 15.

Id etiam colligitur ex Parabola eius, qui exijt seminare, Luc. 8. Ex qua admonemur, maiorem esse difficultatem in opere exequendo, quàm in proposito, & voluntate illud exequendi.

Quam confirmat exemplum Petri, qui Christo dicenti[e];

Vos omnes scandalum patiemini in me in nocte ista, respondit; Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo:

e Matt. 26. Marc. 14.

Et tamen tentationis tempore, ad interrogationem Ancillæ, timore perculsus, Christum Dominum cum iuramento negauit.

Patet ergo, minorem esse difficultatem in

proposito voluntatis, quàm in executione operis.

OBIICIES II.

a ad Ephes. cap. 2

NOn ex operibus, quæ fecimus nos, elegit nos Deus, vt sancti essemus, ex Apostolo a.

Ergo non sumus electi ad gloriam per merita consequendam.

Respondetur. Etsi gratis electi sumus a Deo ad gloriam; non repugnat tamen, electos nos esse ad gloriam consequendam per opera in Deo per Christum facta; quæ sunt post gratiā, etiam merita Hominis, diuinæ gratiæ auxilijs liberè cooperantis. Nam & gratis, & ex misericordia Dei electi sumus ad gloriam: quam tamen consequimur per bona opera: quæ sunt simul opus Dei miserentis, & Hominis diuinæ gratiæ auxiljs non resistentis, sed cooperantis.

Donatur enim nobis gloria in tempore, vti merces, & corona iustitiæ, ad quam gratis electi fuimus ante Mundi constitutionem, vt eam in tempore per opera auxilijs gratiæ facta, tanquam coronam iustitiæ, consequeremur.

Et ideo potuit aliquis gratis eligi ad gloriam; quam tamen consequuturus esset per merita, cooperando diuinis auxilijs, sibi gra-

tis

tis a Deo per Chriſtum præparatis, atque conceſſis.

Sicut enim nemo poteſt mereri prima gratiæ beneficia; ita nec mereri poteſt eorundem beneficiorum in mente diuina æternam præparationem, aut etiam electionem ad gloriam conſequendam per eadem beneficia, quæ antecedit, ratione noſtri modi concipiendi, ipſam diuinorum beneficiorum in mente diuina præexiſtentem præordinationem, & præparationem.

Nam voluntas finis antecedit voluntatem mediorum, & eorundem præparationem.

Quia, cum propter finem, & gratia finis ſint media; qui ordinatè vult, vult finem propter ſe ipſum, & media gratia finis.

Quamobrem prior eſt voluntas finis, quàm mediorum.

Aduertendum autem eſt, ne ſubrepat error, quando de Deo loquimur, aut de diuini intellectus, vel voluntatis actibus; & vnum alio priorem, vel poſteriorem dicimus; id nō intelligi ita, vt in Deo aliquid ſit prius, aut poſterius, cauſa, aut effectus: nihil enim eſt in Deo, quod non ſit Deus: cùm omnia, quæ in illo ſunt, per eſſentiam exiſtant, & ſint Deus ipſe, quo nihil eſt prius.

Ergo nihil eſt in Deo, quod ſit prius, aut poſterius.

Sed

proposito voluntatis, quàm in executione operis.

OBIICIES II.

a ad Ephes. cap. 2

Non ex operibus, quæ fecimus nos, elegit nos Deus, vt sancti essemus, ex Apostolo [a].

Ergo non sumus electi ad gloriam per merita consequendam.

Respondetur. Etsi gratis electi sumus a Deo ad gloriam; non repugnat tamen, electos nos esse ad gloriam consequendam per opera in Deo per Christum facta; quæ sunt post gratiã, etiam merita Hominis, diuinæ gratiæ auxilijs liberè cooperantis. Nam & gratis, & ex misericordia Dei electi sumus ad gloriam: quam tamen consequimur per bona opera: quæ sunt simul opus Dei miserentis, & Hominis diuinæ gratiæ auxilijs non resistentis, sed cooperantis.

Donatur enim nobis gloria in tempore, vti merces, & corona iustitiæ, ad quam gratis electi fuimus ante Mundi constitutionem, vt eam in tempore per opera auxilijs gratiæ facta, tanquam coronam iustitiæ, consequeremur.

Et ideo potuit aliquis gratis eligi ad gloriam; quam tamen consequuturus esset per merita, cooperando diuinis auxilijs, sibi gratis

tis a Deo per Christum præparatis, atque concessis.

Sicut enim nemo potest mereri prima gratiæ beneficia; ita nec mereri potest eorundem beneficiorum in mente diuina æternam præparationem, aut etiam electionem ad gloriam consequendam per eadem beneficia, quæ antecedit, ratione nostri modi concipiendi, ipsam diuinorum beneficiorum in mente diuina præexistentem præordinationem, & præparationem.

Nam voluntas finis antecedit voluntatem mediorum, & eorundem præparationem. Quia, cum propter finem, & gratia finis sint media; qui ordinatè vult, vult finem propter se ipsum, & media gratia finis.

Quamobrem prior est voluntas finis, quàm mediorum.

Aduertendum autem est, ne subrepat error, quando de Deo loquimur, aut de diuini intellectus, vel voluntatis actibus; & vnum alio priorem, vel posteriorem dicimus; id nō intelligi ita, vt in Deo aliquid sit prius, aut posterius, causa, aut effectus: nihil enim est in Deo, quod non sit Deus: cùm omnia, quæ in illo sunt, per essentiam existant, & sint Deus ipse, quo nihil est prius.

Ergo nihil est in Deo, quod sit prius, aut posterius.

Sed

Sed ratione nostri modi intelligendi, concipiuntur in diuino intellectu, vel voluntate distincti actus, ratione distinctorum obiectorum; quorum vnus sit causa alterius. Verbi gratia, distinguimus voluntatem finis a voluntate mediorum, quia finis est causa mediorum; & dicimus, voluntatem finis esse causam voluntatis mediorum, quia finis est causa mediorum: non quia re vera in Deo voluntas finis sit causa voluntatis mediorum. Deus enim vno, & eodem simplicissimo actu æquiualente pluribus, vult finem propter se ipsum, & media propter finem.

Et ideo esse causam, & effectum, prius, aut posterius, non dicitur de actibus diuinæ voluntatis ratione sui, sed ratione nostri intelligendi modi. Nam Deus vno simplicissimo actu voluntatis suæ, qui est per essentiam existens, & Deus ipse, vult media, & finem, & quæcunque vult: æquiualet enim, & perfectione excedit finitos in infinitum voluntatis creatæ actus.

Et quod de actibus voluntatis dicitur, suo modo transfertur ad actus intellectus.

Neque ob id iniquus est Deus, qui cum essemus omnes in massa perditionis, & vasa iræ, ob peccatum saltem originale, elegit nos, vt essemus sancti per beneficia, quæ ipse nobis gratis præparauit, & quibus cooperando,

do, consequeremur gloriam, quæ etiam esset præmium, merces, & corona nostra: qua n. cum præsciuisset quibus auxilijs, & operibus essemus consequuturi, elegit nos ad eam sic consequendam; & in mente sua præparauit media, & beneficia, quibus infallibiliter cooperantes, certò vitam cõsequeremur æternam.

QVÆRITVR QVINTO AN CERTVS SIT PRÆDESTINATORVM NVMERVS.



RESPONDEO, dicendum; Certus est numerus prædestinatorum.

Probatur. Nam, si non esset certus, nulli esset cognitus;[a] Est autem cognitus Deo numerus prædestinatorum in æterna felicitate collocandus.

Ergo certus est numerus electorum, & prędestinatorum: qui cum a Deo & electi, & prędestinati sint; necesse est ab eodem Deo cognitos esse: vt patet ex ijs, quæ de scientia Dei diximus,[b] & supra sępe hoc ipso capite.

Quod etiam docet Apostolus[c] Cognouit Dominus, qui sunt eius.

a Ita Ecclesia in collecta Ieiunij Quadrag.

b Capit. 10.

c 2. ad Tim. 2.

Nam

Ioan. c. 10. Nam Deus nouit omnes; quos ad gloriam elegit, & quibus præparauit media, & beneficia, per quæ diuinæ gratiæ auxilijs cooperantes, sunt in vitam æternam ducendi: alias, nec etiam prædestinarentur, aut eligerentur homines ad gloriam; quod repugnat scripturis, quas supra adduximus huius Capitis quæsito primo.

OBIICIES I.

Si certus esset numerus prędestinatorum, nemo posset satagere (contra id, quod admonet Princeps Apostolorum [a]), vt certam faceret electionem suam, quæ ex diuino voluntatis decreto esset æterna, & immutabilis, & certorum Hominum.

a epist. 2. cap. 1.

Respondetur. Nemo posset satagere, vt certam faceret electionem suam quantum ad actū diuinæ voluntatis, ab æterno eligentis ad gloriam: conceditur. Nemo posset satagere, vt diuinæ gratiæ auxilijs cooperando, per bona opera consequeretur vitam æternam; & ita certam facere electionem suam in executione operis, & consecutione finis: negatur.

Quod confirmant ea scripturæ loca [b], quibus malè agentibus comminatur æternam pœnam; vel benè operantibus vitam æternam repromittit Deus.

b Matth. 25. Luc. 10. Ioan. 15. Apoc. 3.

OBII-

OBIICIES II.

SI certus esset numerus prædestinatorum; nemo posset deleri de libro vitæ, qui est notitia eorum, qui sunt; per beneficia a Deo præparata, ducendi in vitam æternam; Nam non possunt electi deleri de libro vitæ, vel excidere a notitia Dei, qua cognoscuntur vitam æternam consecuturi; nisi ipsi verè non sint amplius eam adepturi: aliàs falleretur Deus, habens notitiam eorum, qui non sunt saluandi, ac si essent saluãdi: quod infinitæ Dei scientiæ, ac sapientiæ repugnat, per quam necessariò Deus scit, quicquid futurum, vel non futurum est.

Quare si possunt Homines conscripti in libro vitę; qui sunt prędestinati, deleri de libro vitę; poterunt etiam non consequi vitam: & sic non erit certus electorum numerus vel prędestinatorum: nam poterunt prędestinati reprobari: & reprobi vice versà poterunt saluari.

Atque ita non erit certus numerus prędestinatorum, qui variari potest. Non enim petijsset Moyses [a], se deleri de libro vitæ: nec respondisset Deus per peccatum tantummodo deleri hominem de libro vitę; si certus esset electorum numerus.

a Exod. 32.

Respondetur; per peccatum mortale ele-

ctos, quantum ad pręsentem iustitiam (idest, pro eo tempore, quo in peccatis sunt) deleri de libro vitę: quia per peccatum amittunt gratiam, & iustitiam, per quam habent ius ad gloriam. Quod si electi tunc decederent, quando post peccatum sunt iustitia, & gratia priuati; damnarentur: atque ita pro eo statu, & tempore cognoscit illos Deus, non ęterna vita, sed morte dignos: & sic delentur de libro vitę. Sed quia diuinę gratię auxilijs cooperando, resurrecturi a peccatis, & vsque in finem persueraturi cognoscuntur; absolutè non dicuntur deleri de libro vitę.

Nunquam ergo electi de libro vitę absolutè delentur. Nam semper in Deo remanet notitia eorum, qui saluandi sunt: quę per quandam similitudinem, liber vitę dicitur: a qua notitia nemo electus absolutè decidit. Nam cognoscuntur semper a Deo electi vitam æternam consequuturi; etiam quando sunt in peccato: quia licet ob peccatum sint morte digni: ab eo tamen per gratiam recessuri, & vsque in finem perseueraturi, & gloriam consequuturi infallibiliter per media a Deo præparata, cognoscuntur.

Fuit autem amoris excessus, quo Moyses petijt, se deleri de libro vitæ.

Et quamuis in charitate. quatenus respicit Deum, qui est infinito amore dignus, nullus

posit

posſit eſſe exceſſus: tamen in dilectione proximi poteſt eſſe exceſſus: & tunc dilectio deſinit eſſe ex charitate, ex qua nullus inordinatus, aut ſuperfluus amor eſſe poteſt.

Et licet amor dicatur cæcus: tamen, vt ſit actus charitatis, non poteſt velle, quod Deo diſplicet: diſplicet autem Deo peccatum, per quod quis deletur de libro vitæ quantum ad præſentem iuſtitiam, & ad aliquod tempus, quo cognoſcitur non habere iuſtitiam, ſed peccatum, & iniuſtitiam, ſeu iniquitatem; a quo peccato, ſi diuinæ gratiæ auxilijs non extraheretur; nec vitam æternam conſequeretur; nec electus, aut prædeſtinatus fuiſſet, vel in libro viuentium conſcriptus.

Quarè nemo deletur de libro vitæ ſimpliciter, & abſolutè; & ita non poteſt quis optare, vt deleatur de libro vitæ, a quo nemo poteſt neque in æternum, neque ad tempus deleri, niſi per peccatum mortale.

Quod ſi interdum aliquis, id non aduertés, optaret ſe deleri de libro vitæ ob aliquem bonum finem, a culpa poſſet excuſari, ſicut excuſantur omnes, qui ex inconſideratione non culpabili, optant id, quod aliàs, ſi aduertentes optarent, a culpa non liberarentur.

Neque obſtat illud Pauli [a], qui optabat anathema eſſe a Chriſto pro fratribus ſuis. a Rom.9.

Nam non optauit ob id, ſe deleri a libro vi-

tæ a quo sciebat, neque in perpetuum, neque ad aliquod tempus quempiam deleri posse absque peccato; ita docente Domino per Scripturam [a], cum Moysi respondit, a libro vitę neminem deleri, nisi per peccatum.

a Exod. 32.

Sed optauit anathema esse a Christo pro fratribus suis; idest ad aliquod tempus separari a Christo, & differri desiderium suum, quo optabat dissolui, & esse cum Christo.



CAPVT XVII.

DE REPROBATIONE.

CAPITE superiori explicatum est, quomodo Homines, licet gratis eligantur ad gloriã; ad eam tamen per merita consequendam, eligantur: Quia verò quosdam [a] reprobat Deus, nolens illis dare gloriam, sed in iudicio retribuere pœnam; iuxta illud; [b] Discedite a me maledicti in ignem æternum; ideo, vt hæc difficultas explicetur;

a sap. 9. ad Hebr. 12.

b Matt. 25.

QVÆRITVR.

VTRVM DEVS OB PRÆVISAM CVLPAM VOLVERIT, SEV DECREVERIT AB ÆTERNO DARE REPROBIS POENAM.

QVÆSITO respondetur, dicendum; Deum decreuisse dare pęnam reprobis ob peccata, cum quibus præsciuit Deus recessuros esse reprobos; siue ea fuerint peccata actualia; siue originale tantum: quam

quam ob causam etiam reprobatio dicitur præscientia.

Probatur. Quia voluntate antecedenti vult omnes homines Deus saluos fieri. Ergo, si aliquos vult damnari, voluntate consequenti vult illos damnari, ob præuisa peccata, in quibus vsque in finem sua ipsorum culpa perseuerantes, recessuri cognoscebantur ex hac vita sine gratia: alias, posset Deus auctor esse peccati, sicut & gratiæ; contra scripturas[a], Concilia[b], & Patres[c]: &, sicut prædestinatio est causa omnium donorum, & mediorum, quibus æternam consequimur vitam; sic reprobatio esset causa culparum, & peccatorum, ob quæ datur æterna pœna, & ita Deus diceretur causa perditionis reproborum; contra illud Prophetæ[d]: Perditio tua ex te, Israel.

s. Damasc. de fid. orthod. lib. 2. c. 29

a Exod. 23. sap. 14 Iudit 5 ps. 5. 44 & 54

b Conc. Trid. sess. 6. can. 6.

c s. Bas. hom. quod Deus non est auctor peccati. s. Greg. Naz. orat. 4. de Theolog. quæ est 36.

d Oseæ 13.

Supponit ergo culpam reprobatio, ob quam sunt in massa perditionis reprobi: ex qua massa, cum nolit illos extrahere Deus ad ostendendam iustitiam suam in[e] vasa iræ, non est iniustus, vindictam sumens de peccatis.

e ad Rom. 9.

Id vero confirmatur. Quia illa est causa, cur velit dare Deus pœnam, quæ est causa, cur in tempore det.

Sed quando dat pœnam, dat illam ob peccata, ex illo Matthæi[f]: Discedite a me maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis

ad Rom. 2.

f cap 25.

mihi

mihi potum; &c.

Ergo & quando decreuit dare pœnam, decreuit illam dare ob preuisa peccata, cum quibus recessuri erant sua culpa reprobi, non sumentes per pœnitentiam de peccatis proprijs vindictam, quam poterant sumere, diuinæ gratiæ auxilijs cooperando, quæ nunquam misericordia sua (de sufficientibus loquimur) subtrahit Deus.

OBIICIES I.

ILlud Pauli [a]; Antequam quicquam boni, aut mali facerent, Iacob dilexi; Esau autem odio habui. [a] ad Rom. 9.

Respondetur. Etsi Iacob, antequam quicquam boni fecerit, ab æterno, scilicet, sit dilectus, & ad gloriam electus: & item Esau (qui pro [b] reprobis ponitur) antequam quicquam mali fecerit, ab æterno, scilicet, sit odio habitus a Deo: est tamen odio habitus iustè, ob peccatum præuisum: Iacob autem misericordia dilectus: [c] quia diuinæ voluntatis decreto, extractus fuit ex massa perditionis, in qua ipse etiam Iacob constitutus fuerat ob pecccatum, saltem originale.

[b] Cardi. Bellarm. to. 4. cont rou. li. 2. de gratia, & lib. arb. cap 10.

[c] Cōgruit doctrinę D. Aug. tract. 39. in Ioann. post initium.

Quod si dicatur; Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori. Ergo non ob peccatū fuit reprobatus Esau,

Respon-

Responderi potest; quando dicitur, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori; id intelligi, quia plura bona, scilicet, temporalia habiturus erat minor, quàm maior. Iacob enim ex paterna benedictione hæres fuerat constituendus melioris hæreditatis, & a Deo habiturus erat terram fluentem lacte, & melle: Esau autem terram sterilẽ, & desertam: Et ita futurum erat, vt maior inseruiret minori; siue hoc de ipsius Esau, & Iacob persona verificandum esset; siue de eorum semine, scilicet de ijs, qui originem ducturi erant ab Esau, & Iacob: qui modus loquendi ex alijs etiam scripturis [a] desumi potest:

a Genes. c. 13. 15. 27. 18. 24. 43. & alibi sæpè.

Veruntamen, cum dicatur Iacob dilectus, & Esau odio habitus, & grauissimi, ac doctissimi illius loci interpretes dicant, nomine dilectionis intelligi actum diuinæ voluntatis, quo voluit ab æterno Deus dare gratiam, & gloriam Iacob; & nomine odij intelligi voluntatis actum, quo Deus ab æterno noluit dare gloriā, seu æternum Regnum Esau; sed relinquere eũ in massa perditionis, in qua erat ob peccatum, quod ex contextu Apostoli satis apertè colligit, & explicat Cardinalis Bellarminus [b]; ideo ille locus intelligendus etiam est de voluntate dandi gratiam, & gloriam Iacob, qui pro electis ponitur: & ille alius actus odij, de voluntate relinquendi in massa perditionis Esau, qui pro

b Tom. 4 controu. lib. 2. de gratia, & lib. arbitr. cap. 10

repro-

reprobis ponitur: antequam enim quicquam boni, aut mali fecerint electi, aut reprobi; voluit misericordia sua Deus aliquos gratis, & misericordia extrahere ex massa perditionis, & eisdem dare gloriam; quod est maximè diligere: & alios relinquere in massa perditionis, in qua erant ob peccatum, quod est signum odij, sed iusti: nam eo ipso, quod aliquis sit ob culpam in massa perditionis; est odio dignus; & in illa potest iustè derelinqui; & alius misericordia, & amore liberari.

Cur autem velit potius Deus cum vno misericordiam, & cum alio iustitiam exercere? vnum extrahendo ex massa perditionis, alium relinquendo; noli quærere, si non vis errare; non enim alia causa afferri potest, quàm voluntas Dei, cum vno misericordiam, & cum alio iustitiam exercere volentis: quæ Dei voluntas, cum sit & lex, & rectitudo ipsa; non potest non esse recta, & iusta.

Et ideo cum pares sint & electi, & reprobi, antequam diuino voluntatis decreto, aut electi extrahantur ex massa perditionis, aut in ea relinquantur reprobi; si aliqui, qui sunt electi, extrahantur, est opus miserentis Dei: si vero alij relinquantur; non est alia causa, nisi Dei volentis sumere iustam pœnam pro peccatis derelictorum in massa perditionis: in qua esse sint propter peccatum, cui debetur æterna pœ-

 na;

na; nullum ius habent ad æternam gloriam. Et ideò nulla fit illis iniuria; si ad gloriam non eligantur. Non enim est iniuria, si puniatur ille, cui ob culpam debetur pœna.

OBIICIES II.

SI reprobi electi fuissent ad gloriam, & prædestinati: non fuissent damnati. Ergo damnantur, quia in massa perditionis a Deo derelicti sunt.

Respondetur; verum esse, si reprobi electi fuissent ad gloriam; saluarentur.

Negatur tamen, primam causam damnationis reproborum esse, quia non sunt electi. Nam prima causa est, quia erant in massa perditionis propter peccata, quibus cum sit debita æterna pœna, voluit Deus, vt thesauros iustitiæ suæ ostenderet in vasa iræ, eos relinquere in eo statu, in quo ob culpam erant, cui non debetur electio ad gloriam, sed pœna æterna.

Quare non est iniustus Deus, si eos relinquat in eo statu, in quo propter suam ipsorũ culpam sunt pœna, & interitu æterno digni. Nam ob culpam sunt in massa perditionis, & ob eam damnantur; & illius non fuit causa Deus, qui dedit etiam auxilia sufficientia, quibus possent vitare culpam, quam voluntate

con-

contraxerunt. Nemo enim est, qui voluntate non peccet toties, quoties in peccata labitur: loquimur autem de Adultis:

Qui si [a] indurati interdum dicantur a Deo; Non est, quia ita Deus auxilia sufficientia subtrahat, vt necessitate peccent: sed quia permittit Deus, vt, qui indurantur, sua ipsorum culpa in perditionis causam conuertant ea, quæ data sunt illis in salutem.

[a] Exod. 7. 8. 9. 10. 12. & 14. Ioan. 12. & 19. ad Rom. 1. & 9. S. Aug. Tract. 53. in Ioan. Epist. 105. ad Sixt. presbyt. con. pelagian. lib. 2. qq. sup. Exod. q. 18.

OBIICIES III.

Illa est causa per se, qua posita effectus ponitur, & qua ablata, aufertur effectus.

Sed posita reprobatione, Homines dãnantur; & illa ablata, non damnantur.

Ergo illa est causa, cur Homines damnentur.

Sed reprobatio est actus diuinę voluntatis, nolentis aliquos extrahere ex massa perditionis, qui voluntatis actus non est in reprobis; sed in reprobante Deo.

Ergo non culpa propria damnantur reprobi, in quorum potestate non est, vt extrahantur ex massa perditionis.

Tota igitur damnationis causa in reprobantem Deum, non in reprobatos Homines referenda erit.

Respondetur; illam esse causam per se, qua

primò, & per se posita, ex vi illius ponitur effectus, & qua ablata primò, & per se, aufertur effectus: vti docet Philosophus lib. 1. Posteriorum.

Verùm antequam reprobi intelligantur derelicti in massa perditionis, in qua erant ob culpam, intelliguntur digni æterna damnatione.

Ergo prima, & totalis causa per se, qua sunt digni perditione æterna, est culpa, non reprobatio.

Sicut, si quis propter aliquod homicidium, vel propter læsam maiestatem in carcere detineatur, & a Principe, qui posset illi condonare pœnam, non iubeatur extrahi e carcere, neque illi condonetur pœna; causa, cur reus sit damnationis pœna, & morte dignus, non est Princeps, qui vult iustè illum punire, qui si vellet etiam misericordiā adhibere, saluaret, & liberaret reum: sed quia vult iustitiā exercere, morte ille punitur; non ob culpā, aut defectū Principis; sed rei, qui peccauit. Et tamen, si Princeps cōdonaret delictum, & reum absolueret, non vltimum pateretur ille suppliciū: qui Principe non condonante, damnatur, & punitur.

Ita iustus Iudex Deus, cum omnes reprobi sint in massa perditionis ob culpam, qua digni sunt æterna morte; si nolit illos extrahe-

re;

re; non in ipſum referenda eſt damnationis cauſa, qui iuſtè agens, reprobat;

Sed tota culpa, cui debetur pœna; eſt ex parte reprobi.

Nec conqueri poteſt Homo, ſi Deus velit, illum iuſtè punire, & alium miſericordia liberare: Nam, ſi omnes puniret, non iniuſtè illos puniret:

Quod ſi aliquos velit miſericordia ſaluare, & ex maſſa perditionis extrahere; quia [a] Deus bonus, ac miſericors eſt; non debet oculus noſter nequam eſſe. a Matth. 20.

Deus enim cum ſit ſupremus Princeps, [b] Rex Regum, & Dominus Dominantium, cui omnia ſubduntur, & in cuius poteſtate omnia ſunt, parcendo, ac miſerendo, nemini iniuriam facit, etiamſi miſericordia ſua aliquos ex maſſa perditionis extrahat; & alios, ob eorum culpam iuſto iudicio damnandos, relinquat. b Apoc. 19.

Huius autem rei non eſt inquirenda alia cauſa, niſi errare velimus: non eſt enim reproborum, qui ob culpam a Deo, & a rectitudine receſſerunt, Deo leges imponere, qui eſt ſumma rectitudo, & lex, per eſſentiam exiſtens, quæ non poteſt errare, neque a ſe ipſa deficere: Sed ſe ipſos debent reprehendere, qui cum propria voluntate culpam contraxerint, habiti ſunt ætern a pœna digni.


Et satagere deberent omnes, dum viuunt, vt diuinæ gratię auxilijs cooperantes, facerent, si non sunt prædestinati, vt prædestinentur; idest operari ea opera, quæ operantur prædestinati, & electi: cum nemo sciat, sit ne in reproborum numero, an electorum.

Neque etiam ab electis est curiosè inquirenda causa suæ electionis, ob quam extracti sunt ex massa perditionis: sed Deo gratias agentes, curare debent, vt per bona opera certam faciant vocationem, & electionem suam, quæ æternam retributionem habitura est, si ipsi diuinæ gratiæ auxilijs cooperati fuerint, & cum iustitia ex hac vita decesserint.

a Math. 10.

b Apoc. 19.

✣ ✣ ✣
✣



CAPVT XVIII.

DE DIVINA POTENTIA.



IN agentibus per intellectum, & voluntatem primò intelligimus cognitionem, qua operans intelligit id, quod faciendum est, & illud proponit voluntati.

Secundò consideramus volũtatem, qua vult id, quod proponitur ab intellectu, & iubet exequenti potentiæ, vt illud operetur.

Tertiò, ipsam exequentem potentiam.

In Deo etiam, quamuis hæc tria sint idem; cum sit ens per essentiam existens; in quo omnia sunt vnum, & idem, vbi non est relatiua oppositio; tamen ratione nostri modi concipiendi, qui inadæquatè per res creatas [a] inuisibilia Dei cognoscimus; hæc tria distinguimus: intellectum, scilicet, voluntatem, & producentem potentiam.

a ad Rom. cap. 1.

De intellectu, & voluntate, & ijs, quæ ad intellectum, & voluntatem pertinent, actum est præcedentibus capitibus.

Nunc agimus de Potentia: de qua

QVAE-

QVÆRITVR

QVID, ET QVANTA SIT.



DARI in Deo Potentiam, qua producantur omnia; quæ extra ipsum sunt; res omnes, quæ extra Deum existunt, manifestè demóstrant: quæ cum per participationem, & dependenter existant; necesse est dependere, produci, & existere dependenter ab eo, quod est per se, primò, & per essentiam existens. Quod cùm sit maximè in actu, educit de potentia ad actum, quicquid æterno eius decreto est in tempore habiturum existentiam.

Potentia ergo in Deo est vis, & facultas producendi, quicquid habiturum est, vel habere potest existentiam: qualia sunt ea omnia, quæ possunt de diuino esse, atque essentia participare.

Quod si dicas. Hoc modo a potentia Dei res haberent tantum existentiam; non autem essentiam: atque ita res creatæ non essentialiter dependerent a Deo in genere causæ efficientis: nam potentia, quæ in Deo est vis productiua, non daret essentiam, sed existentiam.

Respon-

Respondetur. Res creatę dependent a Deo in genere causæ efficientis; quia ab ipso, vt ab efficiente, habent tantum formaliter existentiam. Dicuntur tamen dependere essentialiter a Deo in genere causæ efficientis; quia earum essentia non est apta coniungi cum existentia, nisi dependenter a Deo. Nam quod est per participationem, non potest esse, aut existere, nisi dependenter ab eo, quod est per essentiam.

Quod enim conuenit alicui secundariò, & per participationem, conuenit dependenter ab eo, quod est primò, per se, & per essentiam.

Idq. exemplo luminis, quod est primum visibile, declarari potest; dependenter enim ab eo videtur, quicquid videri potest.

Et ideo colores absque lumine a Philosopho dicuntur potentia colores; quia absque lumine non videntur: est enim lumen primum visibile, dependenter a quo cætera omnia videntur; licet sint formaliter, & per se intra latitudinem obiecti visus.

Dicuntur etiam res essentialiter dependere a Deo in genere causæ efficientis: quia in conceptu formali rei existẽtis per participationem includitur depẽdere ab eo, quod est per essentiam existens: non enim esse, aut perfectè intelligi potest existens per participationem, in-

dependenter ab eo, quod existit per essentiam.

Ex quo sequitur,

Deum esse Omnipotentem.

psal. 144. Eccles. 18. Ioan. cap. 1. Probatur. Quia nihil est, quod a Deo fieri nô possit; & quod ab eodem Deo non exigat necessariò fieri: cum sit primum ens per essentiam existens.

Ergo Deus est Omnipotens: Ipsius enim potentiæ subduntur omnia, quæ cum potentia sint infinita; Dei potentia erit actu infinita: cum actu contineat plus perfectionis, quàm contineatur potentia in omnibus rebus, quæ fieri possunt.

OBIICIES I.

SI Deus omnia posset; quacunque rê data, posset aliam perfectiorem producere.

At non ita est. Nam non potest hominem vnum maioris perfectionis essentialiter alio producere.

Ergo non omnia potest.

Respondetur; sequi quidê qualibet data re quantæ vis perfectionis, posse aliam dari maioris perfectionis essentialiter: sed non in ijs, quæ sunt eiusdem speciei, & per consequens eiusdem perfectionis essentialiter. Implicat enim contradictionem, ex ijs, quæ sunt eiusdem speciei, cum sint eiusdem perfectionis essen-

sentialiter, vnum esse essentialiter alio perfectius. Sicut implicat vnum numerum ternarium continere plures vnitates, quàm alium.

Essentiæ autem sunt sicut numeri, quibus si addatur, aut detrahatur vnitas, non sunt ijdem.

OBIICIES II.

Neque etiam Deus in ratione maternitatis potest aliam Matrem producere, habentem relationem maternitatis ad perfectiorem terminum, quàm habeat Virgo Gloriosa, quæ est Mater Christi; qui cum sit Deus, & Homo; ipsa est etiam Mater Dei, & Deipara. Nam terminus relationis illius maternitatis est Vnigenitus Dei Filius Christus IESVS, Homo, & Deus:

Respondetur, id accidere, non quia Deus non posit qualibet creatura data, aliam perfectiorem producere: sed quia nihil Deo perfectius esse, vel excogitari potest. Nam terminus maternitatis in casu posito est Christus Homo, Deus, quo non est aliud suppositum perfectius.

Sicuti etiam nec potest dari perfectior terminus, & obiectum, quàm sit terminus, & obiectum visionis beatæ; nam est Deus.

Et eodem modo non potest dari perfectior vnio, quàm hypostatica: quia per eam vnita

est

est natura humana Christi, Verbo in vnitate suppositi.


Sed in his omnibus exemplis, vt patet discurrenti per singula, non possunt illa fieri meliora, aut perfectiora ratione termini, qui est Deus per essentiam existens, quo nihil perfectius esse, neque excogitari potest.

Non posse autem peccare, aut mentiri; non est impotentia in Deo; sed summa perfectio: Quia deficere posse, peccare, atque mentiri, imperfectionis, infirmitatis, & impotentiæ est.

Igitur non posse deficere, vel nullum admittere defectum, summæ perfectionis, virtutis, ac infinitæ potentiæ est.

A qua per se cum nullum posit esse malum, aut defectus; ab eodem Deo omne bonum expectandum est, & summa cum humilitate postulandum; qui [a] dat omnibus affluenter; & non improperat. Cui sempiternus sit honor, & gloria.

[a] Iacob. 1.



REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr.

Omnes sunt Duerniones, præter ✠, & Rr, quæ sunt Terniones.

ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cam. Apost. 1629

